

STRICTURÆ  
ANTI-BECA-  
NIANÆ

ADVERSUS

LIBR. II. MANUALIS CON-  
TROVERSIARUM

*DISPUTATIONE PUBLICA*

Altdorffl Noricorum die 10. Octob. MDCCVIII.  
ventilabuntur

PRÆSIDE

CHRISTOPHORO

SONNTAGIO

SS. THEOL. D. E. JUSDEMQUE PRI-

MARIO ET GRÆC. L. PROFESSORE,

ECCLESIAE ANTISTITE

h. c.

UNIVERSITATIS RECTORE,

*ET RESPONDENTE*

JOHANNE FRIDERICO PAULO

NOTTNAGELIO,

ONOLDINO - FRANCO.

a. CVII. 29.

Coll. diss. A  
115, 29

LITERIS JUSTI GUILIELMI KOHLESII, UNIV. TYPOGR.

42.



Extremely faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a title or header, possibly including the name of an author or institution.







STRICTURÆ  
ANTI-BECANIANÆ.

AD

LIBRUM II. MANUALIS.

STRICTURÆ

adversus

CAPUT PRIMUM.

De

Ubiquitate.

§. I.



Oram facie Domini nostri JESU Christi & coram Regali Throno Majestatis ac Gloriæ Ejus, solatiffuam Omnipræsentiam sanctissimæ, ad Dextram Patris sedentis, in consortium SS. Triados assumptæ, & ab Angelis atque Archangelis adoratæ Carnis Ejus inficiari, impugnare, sugillare, odio quoque Ubiquitatis nomine traducere haud veritus, Jesuita Becanus ante omnia nosse debuerat, phrasi Scripturæ potius id affirmari ac dici, quod *omnia Creatura in DEO consistant*, Col. 1, 17. & quod *nos in DEO sumus*, Act. XVII, 28, quam, *quod DEUS sit in omnibus rebus*. Hæc quippe phraseologia, cum modum præsentia *τοπικόν*, inclusivum, expansivum & circumscriptivum potius, quam *ἀναπληρωτικόν ἢ ἀπερίγεγραπτον*, sive repletivum & non circumscriptivum, DEO competentem, insinuet, ita, ut intellectus primo intuitu magis in illum cadat, quam huic, merito exploditur. Ita igitur DEUS nullibi in Scriptura dicitur in omnibus panibus, herbis, lapidibus &c. esse.



§. II. Corpus Christi in cœlo jam esse localiter, haud afferimus. Alia nimirum est *locabilitas*, sive actus primus, quo corpus aliquod circumscribi loco potest; aliud *localitas*, quando videlicet actu secundo jam certo cuidam loco includitur. Non illam, sed hanc Corpori Christi glorioso & ad Dexteram Patris exaltato negamus.

§. III. Quando Nostri fundamentum Omnipræsentiaë Carnis Christi isthanc Sessionem Christi ad Dexteram Patris esse docent, intelligunt non nudam præsentiam & ἀδιασσίαν, sed præsentiam cum dominio universali, plenario & incessante conjunctam; Et sic iis, qui fundamentum ejus in Unione personali primoque adeo conceptionis momento ponunt, apparenter tantum contradicunt. Illi respiciunt ad plenariam χοῦσιν, hi ad κτῆσιν; Illi ad exercitium, hi ad habitum & jus Majestatici illius dominii, Humanæ Naturæ communicati.

§. IV. Quod porro affertur nescio quæ dissensio Nostriarum, quorum aliqui putent, Christum ratione Humanitatis necessario esse ubique; alii, pro suo arbitrio, quando velit; Id ita habendum, videlicet, quod illi παροῦσιν ad creaturas, utpote jamdum existentes, (qua ratione præsentia nihil aliud est, quam existentia ad aliquid) hi verò simul administrationem præsentissimi dominii, aut influxum in creaturas conservativum respexerint. Præterea id tenendum, præsentiam DEI ad creaturas (hoc posteriori modo acceptam) utut non sit attributum DEI absolutum, & intrinsece denominans essentiam DEI (si enim DEUS nullas creaturas voluisset producere, etiam nullis fuisset præsens) tamen attributum respectivum, seu mavis cum aliis, attributorum potius certorum consequens, & quasi effectum, inde emanantem, esse. Proinde fundamentum illius non tantum esse statuitur immensitas, sed & voluntas divina. Illo modo radicaliter; hoc modo formaliter spectari dicitur DEI Omnipræsentia.

§. V. Ecquid ergo mirum, si diversi isti respectus etiam qua Omnipræsentiam, Humanæ Christi Naturæ communicatam, obti-

obti-



obtineant? Necessariò illa huic competit, quatenus est existentia ad omnes Creaturas, idque propter personæ omnipræsents Unitatem. Quicquid enim Christus semel assumpsit, istud inde usque à primo incarnationis momento deposuit nunquam. Sed & arbitrariè ipsi competit Omnipræsentiæ, cum efficaci conseruatione & gubernatione omnium Creaturarum iunctæ, administratio. Quæ si dextrè inter se distinguantur, omnis ea, quæ nostris affingebatur, contradictio denuò expirat.

§. VI. Quotquot itaque cum Becano Omnipræsentiæ Carnis Christi negatum eunt, idque ex Joh. VI, 24. *Cum vidisset turba, quod Iesus non esset ibi*; & Marc. XVI, *Surrexit, non est hic*: item ex aliis dictis, ubi Christus de loco ad locum migrasse narratur; Illi à negata præsentiâ visibili ad negandam præsentiâ omnimodam indoctè procedunt, & modum præsentiæ *ἐκταλκόν* sive extensivum, *περιγεφυκόν ἢ περιεκτικόν* sive circumscriptivum & inclusivum, *παθητικόν ἢ δεκτικόν*, passivum & receptivum, imò etiam *ὀικονομικόν* sive dispensativum, cum modo sublimiore, augustiore, *θεοπρεπέι ἢ ἀναπληρωτικῶ*, Diviniore, Majestatico & repletivo, manifestè confundunt. Facile proin hæ apinæ ac tricæ Becanianæ, ad inescandum compositæ, proteruntur: Si Christus localiter & visibiliter non fuit ubique, ratione naturæ exinanitæ, fuit tamen ubique illocaliter & invisibiliter; Sequitur, Corpus & Sanguinem Christi in instanti conceptionis fuisse localiter in utero materno, & illocaliter in toto mundo: ac proin Christum in utero conceptum esse localiter, in toto mundo illocaliter; item in cruce visibiliter & localiter, in toto mundo invisibiliter & illocaliter esse passum.

§. VII. Non sequitur, inquam, exinde, a) *Christum in toto mundo illocaliter esse conceptum*; Quandoquidem Omnipræsentiâ, Carni Christi communicata, conceptionem ejus neque antecedit in Carne, neque constituit; multo minus eandem ad locum aliquem communem, qualis esse totus mundus putatur, expandit



extenditve : id quod tamen supposuerat illatio. Non sequitur β) *Christum in toto mundo invisibiliter & illocaliter esse passum*; quandoquidem passio in statu exinanitionis, perinde, ac conceptio, propriam potius, quam communem requirebat locum; neque vel ad *χρήσιν*, vel ad *κτᾶσιν* Omnipræsentia pertinet; sed, prout est affectio Humanæ Naturæ propria, Physicam modo Naturæ Ejusdem exinanitæ præsentiam connotat. Licet igitur duæ Naturæ in Persona Christi *ἀδιατάτως ἢ ἀδιασπᾶτως*, indistincter, indistracte, & indivulsè sint unitæ, ita certe, ut jam post factam incarnationem ὁ Λόγος nullibi in toto mundo fuerit *ἀσάρετος*, sed ubique *ἑνεσάρετος*, adeoque ceu secundum actum naturalem, visibiliter & localiter alicubi, v. g. in cruce; ita secundum actum personalem invisibiliter & illocaliter ubique præsens; Tamen inde nullatenus sequitur, quod Christus invisibiliter & illocaliter in toto mundo aut ubique passus, quodve in toto mundo crucifixus sit.

§. VIII. Ejusdem furfuris sunt argutiæ, quas adjecit Jesuita, ex nostra sententia id porro sequi, *Christum duplici modo passum esse in cruce, semel visibiliter & localiter, semel invisibiliter & illocaliter. Quare? quia, si eo tempore, quo fuit visibiliter & localiter in cruce, fuerit ubique invisibiliter & illocaliter; necesse sit, Eundem tunc etiam in cruce fuisse invisibiliter & illocaliter. Absurda & inaudita!* Adeo inverecundè de Crucifixo ratiatur spiritus Jesuiticus. Sed *πιδανολογίας* ac *παρεαλογισμοῖς* ejusdem facili negotio occurreretur. Nimirum, quia ex mente Jesuitæ *τὸ esse in cruce*, localem ejus, quod cruci affixum fuit, inclusionem importat, quærere lubet ex ejusdem sequacibus, num Divinam etiam Christi Naturam localiter affixam fuisse putent? Siquidem collectio de toto Christo instituitur. Dispalescit itaque nexus: Quicquid in cruce fuit invisibiliter, illud etiam in cruce passum est invisibiliter. Atqui Divina Christi Natura fuit in cruce invisibiliter. Ergo Divina Christi Natura etiam

etiam



etiam passa est in cruce invisibiliter. *Α' τοπον !* Quorsum hæc ? Ut appareat *ὁ φθασαλμοφανῶς*, ab illocalitate aut invisibilitate præsentia ad illocalitatem aut invisibilitatem passionis ineptè inferri.

§. IX. Veluti ergo duplex præsentia modus, qui *Θεανδρώπῳ* in cruce assignatur, duplicem non reddit passionem; ita neque ab asserta locali ac circumscriptiva Corporis exinaniti in cruce præsentia, ad negandam præsentiam *ἀδιαστατον* ac *θεοπρεπῆ* (quæ utique non localis aut circumscriptiva, sed *ἀναπληρωτικῆ* sive repletiva est. Vin clarius ? cujus ratione Corpus *ἐκ ἀναπληρεῖται*, sed *ἀναπληροῖ*, quæque toti Humanæ Naturæ, in qua omnis plenitudo Divinitatis habitat, communicata, & ab ea nunquam, ne in media quidem exinanitione, deposita est) consequentia ullatenus procedit. Licet ergo Corpus crucifixum in cruce non illocaliter, sed *τοπικῶς* fuerit præsens, idque *κατ' αὐτο* sive *κατὰ φύσιν*; Fuit tamen illud ipsum Corpus personaliter unitum *τῷ λόγῳ* illocaliter præsentem, atque adeo præsentiam isthanc illocalem habuit *κατ' ἄλλο* sive *καθ' ἕνωσιν*.

§. X. Cæterum absurdum inauditumve non est, eum, qui *τοπικῶς* præsens est, posse etiam alia, eademque augustiori, ratione præsentem esse. Id quod evidens evadit, si hominem, quæ corpus *τοπικῶς* seu circumscriptivè præsentem, quæ animam verò *ἐξαιρετωτέρως* adesse, consideremus, sique apparitiones DEI in assumpta forma humana, quibus in V. T. delectatus est, respiciamus. Præsens hic fuit DEUS localiter & visibiliter, puta secundum corporis assumpti œconomiam. At enim verò præsentem in super illocaliter fuisse DEUM, ecquis dubitat ? Sic viderunt homines gloriam Filii DEI in cruce, gloriam quasi unigeniti à Patre; Viderunt Ipsum, tanquam *εἰκόνα ἀόρατος Θεῶ* in assumpta scilicet carne: Ergo visibilis fuit gloria. Inde tamen non potest negari, hanc gloriam ad *τὰ ἀόρατα Θεῶ* certò sensu pertinere, atq; adeo sub augustiori illa ratione eandem in cruce illocaliter ac invisibiliter fuisse præsentem. Pulchrè B. Glassius *Annot. ad Comp. Hutt. Loc. III. Quæst.*

Quæst.



Quæst. II. p. m. 39. docet, duas Christi Naturas sibi invicem præsentissimè præsentem esse, ita, ut nec Λόγος extra suam Humanitatem assumptam, nec Humanitas extra Λόγον sit; sed ubi Λόγος est, ibi etiam sibi præsentissimam habeat Humanam Naturam; & ubi est Caro, ibi præsentissimum sibi habeat Λόγον: quia una utriusque sit Hypostasis, Λόγος ab æternò propria, Humanitati verò in incarnatione communicata. Est proinde, (addit Glassius) in Humanitate Christi duplex τρόπος, modus seu actus accuratè distinguendus, τῆς φύσεως, ἢ ὑποστάσεως, naturalis & personalis. Secundùm ILLUM prædicantur de Christo homine, quæ ex principiis Naturæ Humanæ constitutivis oriuntur, ad eaque pertinent, e. g. concipi, gestari in utero, nasci, esse hîc & non alibi, pati, resurgere. Secundum HUNC, quæ ratione unionis personalis ei competunt, ut, Λόγος, ubicunque is est, præsentissimè præsentem esse, exaltari super omnem creaturam, omnipræsenter in cœlo & terrâ operari.

§. XI. Instas: *Hoc autem pacto Corpus visibile statuitur invisibiliter præsens, & locale illocaliter; id quod denuo manet absurdum.* Regero: Si de corpore hominis ψιλῶ ferretur collectio, bona esset; at de Sanctissimo & Majestatico τῷ Θεανθρώπῳ Corpore id non est absurdum. Verissimum illud est Corpus, ac visibiliter præsens fuit in cruce. Velut autem in sanatione morbi Hæmorrhousæ virtus invisibilis prodiit ex eodem visibili: Ita & in palo crucis illocalis, invisibilis atque incomprehensibilis præsentia modus præter visibilem & localem, eidem haud absurdè tribuitur. Localiter affuit & visibiliter, quoad actum adessendi naturalem; illocaliter autem & invisibiliter simul quoad actum personalem, & modo quodam nobis in hac infirmitate prorsus incomprehensibili, Christo autem crucifixo competente tam certò, quam certò verus DEUS est. Expirat itaque oppositum in appposito, diversitate respectus absurditatem, prima fronte apparentem, tollente. Ne quid dicam de hypothesi Physicorum  
non



nonnullorum, Corpus quoddam naturale (quale est aër, quem circumcirca ducimus, haurimus, attrahimusque) invisibili tamen ratione nobis præsens esse posse, statuentium. Vid. B. Lutherus noster de tribus modis, quibus Christi unicum Corpus possit alibi esse, in Majori de Coena Domini Confessione, cujus verba laudant Autores Form. Conc. in declarat. solida pag. 752. seqq.

§. *XII.* Descensus Christi ad inferos Omnipræsentiæ, Humanæ Ejus Naturæ communicatam, minimè refellit: Siquidem peculiaris præsentiæ manifestatio, nimirum *Ἰεραμβεύσασα* & realis in inferno prædicatio, præsentiæ, cum anteriorem, tum posteriorem confirmat potius, quam tollit excluditve. Quod autem existimat Becanus, certum esse, quod tunc Anima Christi non fuerit ubique, quia, quando deseruerit Corpus & descenderit ad inferos, non manserit in Corpore, in eo falsò supponit, quod descensus ille Majestaticus anteverterit vivificationem Corporis. Cui sententiæ reclamant Petrus, prædicationi in carcere vivificationem anteponeus. 1. Ep. c. 3. v. 18. 19.

§. *XIII.* Fatiscit insuper argumentum à motu locali sumptum, idque hujus tenoris: Si Humanitas Christi secundum substantiam suam est ubique, certum est, quod secundum substantiam suam non possit de loco migrare in locum. Substantia enim, quæ ubique est, locum mutare non potest. At Humanitas Christi propriè, & non metaphorice, potest moveri de loco in locum: Non ergo propriè est ubique. Negamus enim Majorem, & ad ejus probationem dicimus, quod Substantia, quæ ubique est *ἐκτατικῶς* sive per expansionem aliquam, non possit locum mutare. Talis enim ubiquitas *ἐκτατικῆ* sive extensiva à nobis haudquaquam tribuitur Humanæ Naturæ Christi. Deinde mutatio loci, quæ competit Humanæ Naturæ Christi quæ actum naturalem, non tollit Omnipræsentiæ, quæ eidem competit quæ actum personale Joh. III, 13.

§. *XIV.* Nec ascensio ad cœlos reditusve ad judicium, ubi Christus locum mutaverit & mutaturus sit, id est, peculiare *τῆς*

B

*παντο-*



παντοπραξίας Eius, quæ Humanæ Naturæ communicata est, manifestationes, ipsammet παντοπραξίαν abolerent; sed perinde, ac descensus ad inferos, eandem potius confirmant. Si enim valeret sequela: Quicumque de cœlo descendit, is non est ubique, tum sequeretur, ne Divinam quidem Christi Naturam esse ubique; eò, quod Christus dicatur Joh. III. 13. de cœlo venisse. Scitum est illud B. Dannhavveri, *Memorialis Evangelici* p. 18. Es werden ja alle Adams- Kinder ihn anschauen. Sollen nun alle ihren Richter sehen / so muß er ja nach der Natur / nach welcher Er gesehen werden kan / allen gegenwärtig seyn. Ein einziger Horizont von 3. oder 4. Meilen ist lang nicht breit und weit genug zu solcher Anschau. Gott behüte / daß / die dieses Geheimnis jezo in Einfalt nicht glauben wollen / ihnen der Glaube nicht unter die Nase / und in die Augen leuchte / und sie mit ihrem unendlichen ewigen Schaden verblende.

§. XV. Quod annectit Jesuita, contendere Lutheranos, vi unionis personalis communicatam esse Immensitatem sive Omnipræsentiam: esse autem impossibile alicui realiter communicari Omnipræsentiam: & eum tamen non esse actu Omnipræsentem: sicuti impossibile sit alicui realiter communicari albedinem, & non esse actu album; id de immensitate saltem eatenus verum est, quatenus communicatio ejusdem communem denominationem, eamque mediatam, importat. Immensa quippe potentia, immensa scientia, immensa sapientia Humanæ Naturæ utique communicata est. Cæterum ut immediate denominaret immensitas (infinitas, impassibilitas, æternitas) Humanam Naturam, nec necessarium, nec possibile erat. Obstabat nimirum finis incarnationis totiusque officii mediatorii, puta ob quem idiomatum communicatio est facta. Quippe si Humana Natura aut esset, aut denominari posset æterna, ecqui in tempore assumi Ea potuisset ad redimendum genus humanum? Præterea si immensa, si infinita, ecqui verè humana esset?



esset? ecqui in utero materno concepta? Porro si ἀπαθής denominari posset, ecqui nasci, pati aut mori potuisset?

§. XVI. Deinde videtur Antagonista Omnipræsentiam & Immenfitatem pro æquipollentibus habere, ubi tamen accuratissimi monent, Immenfitatem, utpote tale attributum DEI negativum, quo ille nullis locorum spatiis mensurabilis, nulloque πῶς creato terminabilis sit 1. Reg. VIII, 27. duplex habere consequens, immediatum & remotum. Immediatum appellant potentiam illocaliter adessendi omnibus omnino ubi: remotum verò demum vocant Omnipræsentiam, in quantum εἰσαρροσίαν sive adessentiam ad creaturas substantialem involvat. Et hanc iterum monent sumi vel partialiter, pro nuda ἀδιασασία sive indistantia: Vel totaliter, quatenus præter indistantiam simul operationem denotat. Quibus observatis, patet, Immenfitatem & Omnipræsentiam stricte loquendo non æquipollere, sed differre, tanquam attributum DEI absolutum & relativum, negativum & positivum, non-operativum & operativum.

§. XVII. Quam impossibile est, alicui realiter communicari albedinem, & non esse actu album; tam impossibile omnino est, alicui communicari realiter Omnipræsentiam, & non esse actu Omnipræsentem. Sic igitur Omnipræsentia vi unionis personalis communicata est Humanæ Christi Naturæ, utpote quæ ad omnem divinitatis plenitudinem Col. 2. 9. etiam in statu exinanitionis pertinet. Unio certe personalis facta est ἀδιασάτως. Igitur extra ἀδιασάτως nequit spectari assumpta à Filio DEI Natura, utut exinanita, sine dominio tamen, h. e. sine operatione creaturarumque conservatione incessante & universali. Quod si Filius DEI incarnatus alicubi adesse posset, tantum ut DEUS, & non ut homo; tum locus aut spatium posset duas naturas separare, & personam Christi dividere, quam tamen neque mors, neque omnes Diaboli dividere & separare potuerunt. Form. Conc. p. 784.



§. XVIII. Distinctio Becani inter communicationem idiomatum immediatam & mediatam, prout ab ipso accipitur, denuo adinsecandum & decipiendum imperitos composita est. Nam immediate, consequenter & identice communicari, sensu Jesuitico est realiter non-communicari. Proinde argumentamur: Idiomata divina vel communicantur Naturæ Humanæ realiter ex mente Jesuitarum (sive immediate, sive mediate, sive proxime, sive consequenter, sive formaliter, sive identice, hæctenus parum omnino refert, dummodo vera & realis sit communicatio) vel non communicantur realiter. Si realiter; concedendum erit, quod Humana Natura verè fiat particeps divinorum idiomatum. Id quod volumus. Si non realiter: (uti quidem ex mente Jesuitæ non communicantur) allatæ distinctiones meræ officinæ sunt. Conf. B. Quensted. System. P. III. p. 146.

§. XIX. Quodlibet attributum divinum intrinsecè & essentialiter includere reliqua, bifariam intelligi potest: a) de attributis in se, radicaliter aut κατ' ἑσῶ: β) de attributis, ratione connotatorum, relativè aut κατ' ἑξῶ spectatis. Quod si Becanus hoc intelligeret priori modo; nos sibi nequiquam haberet adversantes. Sunt nimirum attributa divina inter se & simplicissime idem. At enim vero sequens discursus, quem de subsistentia format, edocet, ipsum posteriori modo intellexisse assertum. Statuit nempe, subsistentiam divinam esse quidem realiter idem cum attributis divinis; sed tamen intrinsecè & essentialiter non includere illa.

§. XX. Possumus itaque κατ' ἀνθρώπων Jesuiticam isthanc assertionem elidere, idque hoc pacto: Si subsistentia intrinsecè & essentialiter non includit attributa divina, cum quibus tamen realiter idem est; sequitur, quod nec unum attributorum, κατ' ἑξῶ spectatorum, includat alterum, cum quo tamen realiter idem est. Velut ergo propter diversa connotata possum dicere: Subsistentia DEI non est Justitia DEI; ita etiam possum dicere: Misericordia DEI non est Justitia DEI. Illa nempe consistit

sistit



sistit in miserando ; hæc in puniendo. Illa erga objectum miserabile ; hæc erga objectum puniendum sese exerit atque extendit. Qui certe inadæquati conceptus unius ejusdemque numero essentialitæ divinæ distinctionem rationis ratiocinatæ cum fundamento in re suppeditant.

§. XXI. Fatetur, inquam, Becanus, subsistentiam divinam, quæ essentialiter & intrinsece non includat attributa divina, cum iis tamen realiter idem esse. Igitur ταυτότητα sive identitatem materialẽm, non formalem, intelligat, oportet. Quæ enim formaliter idem sunt, ea ita se habent, ut eorum unum essentialiter & intrinsecè includat alterum, ita, ut, secundum nostrum intelligendi modum, unum de altero constanter affirmetur, & neutrum de altero negari possit. Sed enim juxta Becanum subsistentia DEI non est attributum. Pari igitur jure possum dicere, quod inter misericordiam DEI & justitiam Ejus intercedat ταυτότης sive identitas materialis, non formalis.

§. XXII. Quæ cum ita sint, nervus inciditur argumento Becani ; quod cum Reformatis, Socinianis, aliisque Heterodoxis Excommunicatoribus idiomatum, ut cum B. Scherzero loquamur, commune habet : Si quodlibet attributum divinum intrinsece & essentialiter includit reliqua, sequitur, Humanæ Christi Naturæ communicata esse hæc tria 1) esse actum purum, 2) esse æternum, 3) esse independentem. Consequens est falsum. Ergo & antecedens ; sicque expirat idiomatum communicatio. Limitamus nempe Antecedens. Si quodlibet attributum divinum intrinsecè & essentialiter includit reliqua, ita quidem certè, ut cum eis sit formaliter idem, sit in actu exercito idem, sit ratione connotatorum idem &c. Et ita limitatum antecedens concedimus esse falsum, quandoquidem identitas formalis non modo distinctioni reali, sed & distinctioni rationis ratiocinatæ, quam vocant, opponitur. Falsum præterea est consequens, de communicatione & denominatione immediata si intelligatur. Neque enim



enim possum dicere, quod Humana Natura æterna sit, utpote in tempore à Filio DEI assumpta. Cumque sit essentialiter composita, nec immunis ab omni potentia passiva, non potest esse actus purus. Cumque sit actus sui naturalis ratione dependens à DEO, non potest esse independens.

§. *XXIII.* Ab aliis ita exprimi consuevit argumentatio: Quæcunque sunt realiter idem, eorum uno communicato, communicatur & alterum. Atqui attributa divina sunt realiter idem. Ergo. Verum enim vero dudum Orthodoxi Majorem, ruditer & crude acceptam, infregerunt, data instantia: Essentia & subsistentia Patris sunt realiter idem. Ergo dum illa Filio communicatur per generationem æternam, sequitur, quod etiam hæc communicetur. Quod si Majorem ita limites: Eorum uno communicato communicatur & alterum, quantumlibet dispari communicandi ac participandi modo; concedere possumus totum. Ut ut enim assumptæ Humanitati Christi non sit communicata immediate independentia, æternitas, ab omni imperfectione & potentia passiva immunitas; tamen hæc ipsi mediate communicata sunt, h. e. Independens Majestas, æterna Majestas, & ab omni potentia passiva atque imperfectione immunis Majestas ei ad communem participationem, usurpationem ac denominationem in tempore data est, utpote gloria *προαίματος*, Joh. XVII, 5.

§. *XXIV.* Dum subsistentiam sive hypostasin τῆς Λόγῃς communicari Humanæ Christi Naturæ, concedit Becanus, dexterius quidem eatenus procedit Reformatis, hanc negantibus & unionem personalem sine personalitatis communicatione docentibus; neque tamen ὀρθοπροδοῦν, sed mirificè exorbitat, quando ait, subsistentiam non communicari Humanitati in ratione puri actus, aut æterni, aut independentis. Sive enim subsistentiam positive pro ultimo per se existendi modo, sive negative, pro negatione dependentiæ ab alio cum Scholis accipiat; subsistentia divina non potest non esse æterna, non potest non esse in-  
depen-



dependens. Cum igitur Humanitati Christi ea communicata sit, utique tanquam actus purus, utique tanquam æterna, utique tanquam independens substantia ei communicata est.

§. *XXV.* Etsi autem non repugnat Humanitati (objicit porro Jesuita) subsistere per substantiam divinam; tamen repugnat illi, esse actum purum, æternum, independentem. & Repugnat illi qua participationem & prædicationem immediatam, non verò qua mediatam, ceu evicimus. Ita non possum dicere: Ferrum est leve, est tenue, licet ignis ei non sine levitate, nec sine tenuitate communicetur. Nec possum dicere: Corpus est immateriale; tametsi huic communicata sit anima, à qua realiter non differt immaterialitas, quæque est immateriale quid. Unde patet, à communicatione ad denominationem, eandemque immediatam, non valere consequentiam. Conf. *B. D. Bechmanni Annot. in Hutter. pag. 158. & seqq.*

§. *XXVI.* Substantia quidem est ἀκοινωνήτων seu incommunicabile quid alteri personæ, non verò alteri naturæ. Ita substantia relativa ἡ Λόγος sive Verbi non communicatur Spiritui S. per spirationem; nec substantia relativa Patris communicatur Filio per generationem. Et hæc est ratio, ob quam substantia relativa Verbi potuit communicari, & re ipsa etiam communicata est Humanitati Christi, sine substantia relativa Patris & Spiritus Sancti, ut adeo reliquis tricis & argutiis Becanianis parum sit opus. Sufficiat, Spiritum S. docere, quod Filius DEI assumpserit semen Abrahamæ, ita, ut maneret unus Mediator DEI & hominum. Hoc piè credentes, ab omni Paulianismo erimus immunes.

§. *XXVII.* Elumbis est ratiocinatio: Si Corpus & Sanguis Christi est ubique, si est in omni pane & vino, in omni cibo & potu; quid necesse est ire ad templum pro Corpore & Sanguine Christi? Domi haberi potest; sicque adeo ubiquitas destruit Eucharistiam & necessitatem illius. Conclusum quippe, à remotione posterioris ad remotionem prioris procedendo, emerget tale:  
Ergo



Ergo Corpus & Sanguis Christi non est ubique Sacramentaliter. Ergo non est in omni pane & vino, in omni cibo & potu inclusive aut localiter. Hæ sane propositiones nobis non contrariantur. Vid. supr. §. I. Putidum ergo cavillum est, quando ait: Lutherani credunt, Christum esse ubique. Ergo credunt, illum esse in cibo & potu domestico. Cæterum à negata præsentia Sacramentali & gratiosa, quæ quidem à Verbo institutionis in solidum dependet, ad negandam præsentiam Majestaticam, H. Naturæ Christi communicatam, progredi non debuerat Antagonista.

§. XXVIII. Verba Lutheri in libro: *Das die Worte Christi noch feste stehen: Etiam si Corpus Christi sit in omnibus locis, non tamen statim ipsum devorabis aut belluaberis*, diriguntur adversus Manducationem Capernaiticam, nec non homines respiciunt Capernaiticos; non autem sunt ejusmodi, in quibus Megalander sibimet ipsi nescio quid objecerit. Sed & argumentum consecrarium evanescit de fructu Eucharistiæ spirituali, qui est confirmatio fidei & remissio peccatorum; quarum utramque, supposita Omnipræsentia carnis Christi, consequi possimus etiam in cibo & potu domestico extra Eucharistiam. Quandoquidem duplex hic notanda in verbis Becani fallacia est, a) *elenchi oppositorum non opponendorum*. Etiam extra cœnam possumus in fide confirmari & remissionem peccatorum consequi, nimirum ἀκυσικῶς, sive per verbum audibile. Ergo non opus habemus in fide confirmari, aut remissionem peccatorum consequi σφραγισικῶς ἢ ὁρατῶς per verbum visibile sive per verbum Baptismi & Eucharistiæ. Imo verò & hoc, & illud DEUS ordinavit. Ergo unius inclusio cæterorum exclusio esse non debebat. β) *non cause ut cause*. Quod enim etiam extra Eucharistiam Lutherani confirmationem fidei & remissionem peccatorum consequi possint, in causa est non ubiquitas expansiva Corporis Christi, in quolibet pane aut cibo existentis, qualem statuere Lutheranos Becanus somniat; sed alterius medi, τῆ ἀκυσικῆ nempe, h. e. verbi divini

divini



divini apprehensio, ejusque observatio, à DEO mandata & ordinata.

§. *XXIX.* Instantia, quæ datur ad propositionem: *Quando duæ res inseparabiliter & indistanter inter se unitæ sunt, tunc, ubi est una, ibi necesse est alteram esse*, desumpta ab anima & capite Christi, quæ inseparabiliter & indistanter unita sint, & tamen non, ubicunque sit anima, ibi sit caput, cum anima sit in pedibus, ubi caput non est. Hæc, inquam, instantia extra oleas vagatur. Etenim (*primo*) propositio non loquitur de unitis ἀχωρίσσις seu inseparabilibus; at instantia de χωρίσσις seu separabilibus, qualia sunt anima & caput. Volo dicere: Anima & caput Christi potuere separari, & separata sunt in triduo mortis; at duæ Christi Naturæ neutiquam possunt separari. (*Secundo*) inter animam & caput intercedit modo περιχώρησις essentialis; at inter duas Christi Naturas intercedit περιχώρησις personalis.

§. *XXX.* Instantiæ de sole & orbe solari, quæ eodem modo unita sint, cum tamen sol non sit in toto terræ circuitu, sicuti sit orbis solaris; nec non de clavo & rota, de finito & infinito, itidem vapulant, & à rebus maximè alienis petuntur: Siquidem unio personalis περιχωρητική non est inter solem & orbem, neque inter clavum & rotam; imò neque inter finitum & infinitum (videlicet si extra mysterium incarnationis τὸ μονότροπον considerentur) intercedit: qualis tamen inter duas Christi Naturas intercedit. Neque enim sol & orbis, clavus & rota perinde, ac duæ in Christo Naturæ, sese invicem & reciprocè immeant, vocabulo περιχώρησεως sive immeationis relativè accepto; quantumlibet, si activè sumatur, non facta sit reciproce immeatio; siquidem, docente Damasceno, Divina Natura permeat, h. e. perficit & circumcirca quasi pervadit Humanam, non permeatur ab Humana: veluti ignis agit in ferrum, non vice versa; nobilius in ignobilius, non vice versa. Unde Divina Natura aliquibus

C

ΕΥΤΕ-



ἐντελεχείας i. e. actus, Humana δυνάμειος, i. e. potentia rationem habere dicitur.

§. XXXI. Concedit Adversarius, totaliter & adaequate inter se unita esse superficiem chartæ & albedinem, materiam & formam aquæ, intellectum & voluntatem Angeli; unde fiat, ut, ubi harum rerum sit una, ibi sit altera, ubi v. g. superficies chartæ, ibi albedo &c. At enimverò nosse debebat, nullam vel in cœlo, vel in terra unionem firmiorem esse eâ, qua Verbum Caro factum est. Crassum itaque & ad Nestorianismum quam proxime accedentem errorem errat, dum duas Christi Naturas iis rebus accenset, quæ totaliter unitæ non sunt. Quandoquidem περιχώρησις seu immeatio activa, qua sese Natura Divina communicavit assumptæ Humanæ Naturæ, in eo posita fuit, ut ei toti se totam, totalitate scilicet & perfectione essentia, communicaret. Aliàs nimirum non πᾶν, sed μερικὸν tantummodo πλήρωμα Divinitatis in Christo corporaliter habitaret.

§. XXXII. Quod Verbum alicubi sit sine Humanitate, & tamen alicubi existens sit Homo, absolum dictu. Ita ergo homo erit sine humanitate; id quod simpliciter impossibile est. Quinimo ubi nulla Carnis præsentia, ibi nulla est ejusdem existentia; quandoquidem, ceu superius dictum, præsentia nihil est aliud, quam existentia ad aliquid. Quod si λόγος ἑσαρκῶς alicubi præsens est sine assumpta Humanitate; tum ibidem ὁ ἑσαρκῶς erit ἄσαρκος; & ita solvetur unio personalis, ita separabuntur ea, quæ indistanter unita sunt. Fusius hæc diducta vide apud B. Scherzerum *System. p. 225. seqq.*

§. XXXIII. Prædicatio: *Christus est homo*, non perinde valet, ac si dicam: *Petrus est corporeus*. Illa nimirum communicationem duarum Naturarum in persona Christi arguit; hæc formalis est, & nullam arguit communicationem. Fac ergo, analogiam qualemcunque prædicationibus personalibus & idiomaticis in doctrina de Christo intercedere cum vulgaribus ejusmodi pro-

pro-



propositionibus , in quibus naturæ vel formæ uniuntur in una eademque persona , deque illa postmodum prædicantur in concreto : Tamen analogia isthæc solummodo ad formale & modum prædicandi Logicum communem , non ad materiale sive rem ipsam attinet , cujus ratione hæc personales, *DEUS est homo, & homo est DEUS*, à piis veteribus potius inusitatæ vocatæ sunt.

§. XXXIV. Cum Becanus ipse docuerit , unionem personalem id efficere , ut Humana Christi Natura immediate uniatur personæ verbi, mirum est, quod §. 28. tradat , omnem Divinitatis plenitudinem habitare in Humanitate , non per se & formaliter , sed identice , sive per aliquid , quod est idem cum Divinitate , nempe per substantiam relativam Verbi. Etenim si plenitudo Divinitatis non per se & formaliter inhabitat in Humanitate ; ecqui ergo omnis plenitudo Divinitatis in ea habitat? quandoquidem , veluti τὸ Inhabitatum non modo sanctissima Christi anima , verum etiam τὸ σῶμα ejusdem est ; ita τὸ Inhabitans non substantia modo τῆς Λόγου , sed & essentia divina cum omnibus attributis est. Atque adeò inhabitatio , quæ corporaliter fit , non demum identicè , sed per se & formaliter fit. Id quod ne ipse quidem Adversarius inficiari potest , eò , quod §. 30. τὸ corporaliter per τὸ verè & substantialiter exponat.

§. XXXV. Eo magis suspecta est hæc Jesuitæ de unione personali doctrina , quo minus sinceram hypothesin foverat supra §. 23. ubi duas in Christo Naturas rebus totaliter inter se non unitis accensuit ; id quod modo refellebamus §. 31. Parum itaque convenit formæ sanorum verborum hæc assertio , quod essentia & attributa divina non sint formaliter & per se communicata Humanitati , sed tantum identicè : Siquidem ex mente Jesuitæ τὸ identicè communicari , & non totaliter communicari , hæc subjectivè coincidunt. Imò , ceu vidimus §. 18. identice communicari , sensu Jesuitico est non-realiter communicari. Absit igitur , ut inhabitatio illa , qua Paulus hoc mysterium ὁμολογῶ-  
C 2 μένω



μέγως μέγα describit, sit tantum identica, aut communicatio-  
nem tantum identicam importet.

§. XXXVI. Quin realissima hinc sunt omnia, in quibus  
tum unio, tum unio personalis consistit. Realissima est com-  
municatio hypostaseos, tanquam differentia unionis personalis;  
realissima est communitas ὑποστάσεως, tanquam differentia unio-  
nis personalis. Realissima porro est communicatio naturarum,  
tanquam alterum formale unionis hypostaticæ. Realissima  
tandem est communio naturarum, tanquam alterum formale  
unionis hypostaticæ. Realissima proinde ipsa quoque idiomatum  
in omni genere communicatio dici debet.

§. XXXVII. Falsum quidem est, quod Humanitas  
Christi sit Deus; at minime falsum, quod Humanitas Christi  
sit Omnipotens (de Infinitate autem & Independentia, quæ me-  
diate, & cur non immediate de Humana Christi Natura prædicari  
queant, jamdum sententiam diximus §. 23. & 24.) Falsum, in-  
quam, est, quod Humanitas sive Humana Natura sit DEUS.  
Etenim ad hoc, ut aliquid sit DEUS, requiritur ex usu loquendi  
communior modus attributionis essentialis, qui hic non adest.  
Igitur Θεωθεϊσαν Veteres dixere Humanitatem, non Θεόν. Ad  
hoc autem, ut Humanitas sive Humana Natura Christi dicatur  
Omnipotens, non requiritur modus attributionis per essentiam;  
sed sufficit modus attributionis per unionis personalis gratiam,  
idque præeunte Scriptura, quæ nullibi dicit, quod Caro Christi  
sit DEUS: dicit tamen, quod Caro sive Humana Natura Christi  
sit vivifica, sive ejusmodi panis vivus, quem qui edit, in æter-  
num vivet Joh. VI, 51.

§. XXXVIII. Quando omnia dicuntur tradita Christo  
à Patre; id non intelligendum putat Becanus de ipsa Humanitate;  
sed de Christo, nimirum de Persona Verbi, quæ subsistat in Hu-  
manitate. Verum jam dicta sunt dicenda, & responsa respondenda.  
Majores utique nostri in *Declaratione solida Form. Conc. p. 776.*  
regu-



regulam communissimam, maximo totius orthodoxæ Ecclesiæ consensu approbatam, merito in contrarium urgent, videlicet: *Quæcunque Scriptura Christum in tempore accepisse affirmat, ea non secundum Divinitatem accepit, secundum quam omnia ab æterno possidet; sed Persona Christi ratione & respectu Humanæ Naturæ ea in tempore accepit.* Velut ergo non sequitur: Totus homo est coronatus. Ergo non caput hominis; Ita nec istud: Toti personæ tradita sunt omnia à Patre. Ergo non Humanitati.

§. XXXIX. Per ineffabilem istam πλήρωσόν τῶν πάντων Eph. IV, 10. non intelligitur successiva impletio omnium locorum, & primo quidem inferorum, deinde vero superiorum, ut adeo argumentari liceat: Christus secundum Humanam Naturam descendit ad inferos. Ergo prius non erat apud inferos. Item: Ascendit ad cœlos. Ergo prius non erat in cœlis. Non, inquam, hoc modo successivo, expansivo, inclusivo, σωματικῶ, παθητικῶ aut Physico implevit omnia: Sed admiranda, veneranda & adoranda hæc πανπλήρωσις est α) κατ' ἐσίαν, qua substantiam, β) κατ' ἐνέργειαν qua operationem talis. Ita Vinarienses: Auf daß er alles erfüllet i. e. auf daß Er auch nach seiner Menschlichen Natur alles gegenwärtig beherrschet. Imo Lutherus ipse in Scholio marginali ad Eph. I, 23. ubi Christus appellatur πάντα ἐν πᾶσι πληρούμενος: Christus ist (non inclusive, sed repletive) und wirket alle Werck in allen Creaturen / darum ist sein alle Creatur voll. Also ist auch seine gemeine Christenheit seine Fülle / daß sie sammt Ihm sein ganzer Leib und völliger Hauffe ist. Et iterum Vinarienses ad Ephes. 1, 23. Ob zwar Christi persönlicher Leib ganz vollkommen ist / so ist doch sein geistlicher Leib / nemlich die Gemeine der Heiligen nicht vollkommen ohne das Haupt / und das Haupt / nemlich Christus selber / ist nicht vollkommen / ohne diesen seinen geistlichen Leib / in welchem / wie auch in desselben Gliedern / Er gegenwärtig und kräftiglich gutes wirket /



und von welchem Er nicht kan und will in Ewigkeit getrennet werden.

§. XL. Repeto: Tam ενεργητικῶς, quam ὑσιωδῶς explicanda est mystica hæc & humanæ rationi plane incomprehensibilis impletio omnium. Ενεργητικῶς, prout ad tertium genus communicationis idiomatum pertinet, & plenas perfectasq; officii regii actiones, quas Christus præsentissimè potentissimeq; exequitur, coñotat. Unde Lutherus Eph. 4. 10. *Daß Er alles in allen wirkte / und ob ihu nichts gethan / geredet / noch gedacht werde.* Speciatim verò vocatur hæc ἐνέργεια πληρωτική (commentante ad hunc locum *Erasmo Schmidio*) in versu mox sequente ἰσμο ὁ καταρτισμοὶς τῶν ἁγίων, sive completa extractio corporis mystici Jesu Christi, ad quam, peracto reliquo opere redemptionis, adhuc necessaria erant & quasi ultimo requirebantur δόματα illa, ascensione in cœlum & sessione ad Dextram DEI Patris impetranda, & inter homines distribuenda. Id quod vocat Apostolus ratione nostri in hac ipsa Epistola cap. 3. 19. *πληρωθῆναι εἰς πᾶν πλήρωμα Θεῶ.* Neque hinc discrepat, quod Coloss. II, 10. dicitur: Et estis in ipso *πεπληρωμένοι*, qui est caput. Ideoque ex plenitudine Ejus omnes accepimus gratiam Evangelicam N. Test. præ gratia legali Vet. Test. seu mavis cum Augustino loquar *Ep. XI. pag. mihi L. Edit. Reinhard.* Pro legis gratia, quæ præterit, gratiam Evangelii accepimus permanentem.

§. XLI. Simul autem ὑσιωδῶς; quandoquidem præsentia DEI effectiva & operativa non excludit, sed vel maxime includit substantialem Ejusdem Omnipræsentiam. Etenim phrasis illa est definitio substantialis Omnipræsentia divinae Jerem. XXIII, 24. id quod cum B. Majoribus nostris ita exprimimus *Epit. Form. Conc. Art. 8. p. 608. Christus non tantum ut DEUS, verum etiam ut homo, omnibus Creaturis præsens est, & omnia, quæ in cælis, in terris, & sub terra sunt, sub pedibus suis & in manu sua habet.* Ubi ad omnem potestatem in cœlo & in terra.

Christo



Christo datam, nec non ad impletionem omnium, pro fundamento orthodoxiæ suæ magna cum gravitate pioque cum zelo provocant: nec non in *Declar. solida pag. 769.* imperscrutabile & in Sacræ imprimis Cœnæ usu solatium hujus *παραπληρώσεως* mysterium, in quod etiam desiderant Angeli cum admiratione & gaudio prospicere, quodque ipse Apostolus, quando *πάν πληρωμα θεότητος* in Christo habitare docuit, non exclusit, sed vel maximè inclusit, ita eloquuntur, quod *Christus revera omnia impleat, & ubique non tantum ut DEUS, verum etiam ut homo, præsens dominetur & regnet à mari ad mare & usque ad terminos terræ.*

§. XLII. Et paulo post: *Hæc autem non terreno modo; sed, uti B. Lutherus loqui solet, pro modo & ratione Dextræ DEI sunt, quæ nihil aliud est, nisi omnipotens DEI virtus, quæ cælum & terram implet, in cujus possessionem Christus juxta Humanitatem suam, sine confusione tamen & exæquatione Naturarum, realiter sive revera venit.* Sic igitur τὸ πληρωμα θεότητος ἴν πληρωσι ἰών πάντων, Humanæ Christi Naturæ communicatam, probat: Sic præsentia, quam vocant, intima extimam quoque evincit. *Καὶ γὰρ καὶ γυμνῆ τῆ θεότητι πάσαι ἰὰ πάντα ἐπλήρω, ἢ σαρκωθεῖς, ἵνα ἰὰ πάντα μετὰ σαρκὸς πληρώση, κατέβη καὶ ἀέβη.* Etenim nuda quoque Divinitate olim omnia implebat, & incarnatus, ut omnia cum Carne impleret, descendit & ascendit, interprete Oecumenio, ceu laudant ibidem Majores nostri Libr. jamjam laudati *Appendice pag. 877.* Cum igitur Becanus ipse Oecumenii interpretationem laudet, ipsius asseclæ viderint, qui negationem Omnipræsentiaë Carnis Christi cum verbis Oecumenii allegatis componant.

§. XLIII. Lutherani non dissentiunt inter se, dum alii docent, Humanitatem Christi vi unionis hypostaticæ esse ubique; alii, eam post ascensionem cœpisse esse ubique. Hi enim, ut supra monitum est, de fundamento Omnipræsentiaë proximo;



Illi de remoto ; Hi de plenaria , universali & incessante Omnipræsentiæ Majestaticæ , cum Dominio conjunctæ , usurpatione ; Illi autem de ejusdem possessione loquuntur. Cujus respectus diversitas veram inter ipsos contradictionem abolet. Multo minus ab Apostolo dissentiunt Lutherani. Haudquaquam enim sequitur : Christus secundum Humanitatem descendit ad inferos. Ergo prius non erat apud inferos. Item , ascendit ad cœlos : Ergo prius non erat in cœlis. Hoc certè est à negatione modi præsentia ad negandam præsentiam ipsam in cœlis & inferno , h. e. à dicto secundum quid ad dictum simpliciter concludere.

§. XLIV. Invidia perstat assertio : Quicquid datum est in Persona Verbi Christo Homini , illud datum est Ipsi in Humanitate. Tametsi enim Humanitas in se ipsa , seu naturaliter , non sit æqualis DEO in potentia , gloria & Majestate ; sufficit tamen , quod ipsi sit communicata ea gloria & Majestas , quam λόγος habuit apud Patrem , antequam mundus esset , Joh. XVII, 5. Unde perperam Valentia , à Becano allegatus , autumat , consequenter & identicè essentiam & attributa divina communicata esse Humanitati , non , ut Humanitas per illa sit Omnipræsens ; sed , ut per illa , quatenus identificantur cum subsistentia , subsistat. Ruminamus enim ea , quæ diximus antehac , nimirum *consequenter & identicè communicari* , esse ex mente Jesuitarum *non-realiter communicari*. Ruminamus præterea Becanianum istud , quod §. 12. attulit , *esse videlicet impossibile , alicui realiter communicari Omnipræsentiæ , & eum non esse actu Omnipræsentem ; sicuti impossibile est , alicui realiter communicari albedinem , & non esse actu album*. Probandum igitur est Valentia , quod verba *dare , tradere , donare* &c. quibus Scriptura communicationem Divinæ Majestatis , Humanitati factam , describit Joh. 5, Matth. 28. Matth. 11. Joh. 13. Dan. 7. Philip. 2. Luc. 1. allegante *Form. Conc. p. 839. seqq.* communicationem modo consequentem & identicam , non veram & realem , indicent.

§. XLV.



§. XLV. Præsentia gratiosa Christi, quæ Matth. XVIII. 20. & XXVIII. 20. intelligitur, præsentiam Ejusdem generalem non excludit, sed potius stabilit. Quicumque est præsens per gratiam, & quidem repletive; ille non potest non esse præsens præsentia universali seu generali, cœlum & terram implente. Conveniunt nimirum præsentia generalis & gratiosa in hoc tertio, quod utraque soli DEO per se competat. Male autem facit Becanus, dum παντοπαρσίαν Humanæ Naturæ Christi nomine præsentia corporalis insignit, cum nosse debuisset, nos haudquaquam docere, quod ea Physicæ cujusdam ac corporeæ expansionis, neque essentia Humanæ aut essentialium Humanæ Naturæ proprietatum cum divina exæquationis; sed quod potius hyperphysicæ ac mysticæ ἀναπληρώσεως rationem obtineat.

§. XLVI. Excipit: Si Christus loqueretur de præsentia corporali (mallem dixisset reali) non tantum adesset bonis, sed etiam reprobis; quod tamen est alienum à mente Christi. Hinc iterum patet, Lutheranos Christo contradicere. Regerimus, citata loca proxime quidem de gratiosa, seu, ut alii loquuntur, modificata præsentia agere; generalem tamen minime excludere, sed vel maxime includere, præsentiam, ceu visum est §. antecedente: idque propter identitatem Personæ dicentis τῆς ἐνσαρκίας, utpote quæ, veluti non sine divinitate; ita nec sine humanitate sua præsens esse potest. Quandoquidem igitur improbis non competit utraque Christi præsentia simul, gratiosa videlicet & universalis; idcirco haud mirum est, in eos promissiones allegatas non cadere: Velut inde haudquaquam sequitur, eadem ipsa dicta de præsentia generali nullatenus agere. Caterum Lutheranos in evolutione hujus argumenti sibimetipsis non contradicere, §. 43. modo ostendimus.

§. XLVII. Finiemus hanc digressionem, si ea fecerimus nostra, Becanoque & affectis reposuerimus, quæ Jesuitæ Forero *Autor der Haupt-Vertheidigung des Aug. Apfels* pag. 496. obver-



obvertit : Endlich / so ist gewiß / daß ein Edler Rath zu Nürnberg solche Theologen eine geraume Zeit zu Altdorff und zu Nürnberg gehabt / auch noch haben / die im Artickel von der Person Christi / und von der Allgegenwart nach der menschlichen Natur / nicht eines Härleins breit anders gelehret / oder noch lehren / als im Christlichen Concordien-Buch aus der heiligen Schrift gelehret wird. D. Jacobi Schopperi und M. Johannis Schröteri, beyder Seeligen / Eiver in unserer reinen Evangelischen Lehre ist auß ihren Schriften jederman bekant. Insonderheit mag sich Forerus umbsehen in Throno Regali und Sceptro M. Johannis Schröteri ; so wird er sehen / daß zu Nürnberg allerdings der ungeänderten Augspurgischen Confession und dem Concordien-Buch gemäß von der Allgegenwart Christi nach dem Fleisch sey gelehret worden. Adde sis B. D. Weinmanni Institut. Theol. pag. 219. & ex ceterioribus quamplurimis B. D. Alberti Interess. relig. pag. 167. u. a. 172.

## S T R I C T U R Æ

adversus

C A P U T S E C U N D U M

De

*Fide Infantum.*

S. I.

**B** Lutherus fidem actualem infantibus, qui baptizantur, rectissime tribuit. Etenim Salvator noster ipse affirmat, τὸν βασιλεῖον, quæ postmodum etiam πᾶσι nominat, esse regnum DEI. Jam vero qui non crediderit, is regnum DEI accipere & salvari non potest. Luc. XVIII, 15. 16. 17. Quoscunque igitur Christus affirmat accipere regnum DEI, eosdem affirmat hoc ipso credere, seu mavis, fidem habere actualem. Atqui τὰ βασιλεῖον, h. e. non grandiusculos modo, sed & te-



& tenellulos infantes, τὰς πρὸς Φερομένους seu in ulnis allatos, loc. cit. Christus affirmat accipere regnum DEI. Ergo eosdem affirmat credere. Minor patet ex loco alleg. Majoris consequentia tam plana est, quam planum illud: Qui crediderit, salvabitur. Adde: Quorumcunque exemplum Christus nos jubet imitari in accipiendo regno DEI, illi credunt: Atqui τῶν βρεφῶν πρὸς Φερομένων, infantum, in ulnis allatorum, exemplum Christus nos jubet imitari in accipiendo regno DEI. Ergo. Minor patet l. c. v. 17. Certè dico vobis, quicumque non acceperit regnum DEI, veluti puerulus, nequaquam intrabit in illud. Major autem inde liquet, quia, si τὰ βρέφη illa non habuissent fidem, Christus nos jussisset tales in quærendo regno DEI homines imitari, qui infideles sunt; id quod absurdum.

§. II. Nec tamen Lutheri sententia est, ante Baptismum in infantibus hanc fidem gigni. Verba nimirum ipsius allegata sic habent: *Dicimus, ad Baptismum eos credere.* Ecquis autem non videt, oppido diversa esse *ad Baptismum credere, & ante Baptismum credere.* Operatur Baptismus, docente Luthero, remissionem peccatorum, & consequenter etiam fidem, sine qua remissio peccatorum impetrari non potest. Si (B. Dannhavverus noster inquit, Hodosophiæ pag. 890.) *ejusmodi circumcissus infans fidem habet, quæritur unde? Non certe ex utero: non ex immediata illuminatione, quæ, cum mediata ostendi possit, frustra fingitur: non ex Verbo Evangelii, cujus audiendi ac intelligendi nondum capax est. Relinquitur itaque, Sacramentum Circumcisionis vel Baptismi illud instrumentum fuisse, per quod Spiritus S. mirando modo fidem accendit.* Hæc Dannhavverus. Fac, Baptismum natura priorem esse infantis fide, tempore tamen sunt simul, non secus fere, ac sol natura prior suis radiis, tempore cum iisdem simul est. Ita quoque auditus Verbi est causa fidei Rom. X, 17. atque idem auditus fide apprehenditur. Hebr. 4, 2. Adde sis B. D. Carpzov. *Isagog. ad LL. Symb. p. 407. & seqq.*



§. III. Præter rem igitur impingit Jesuita Luthero nostro perversam hanc sententiam, quasi fidem putarit in infantibus ante Baptismum inveniri, & quidem partim vi Exorcismi, partim orationibus Ecclesiæ. Quod vero dicit Lutherus, infantes per vim Verbi, quo exorcisantur, credere, nihil aliud prope sibi vult, quam Cyprianus, quando Lib. IV. Ep. 7. Vol. I. p. m. 309. ait, *Diaboli nequitiam pertinacem usque ad aquam salutarem valere, in Baptismo verò omnes nequitia sue vires amittere.* Et paulo post: *Quod hodie etiam geritur, ut per Exorcistas voce humana & potestate divina flagelletur & uratur, ut torqueatur Diabolus.* Et paulo post: *Cum ad aquam salutarem atque ad Baptismi sanctificationem venit, scire debemus & fidere, quia illic Diabolus opprimitur, & homo dicatus divina indulgentia liberatur.* Nam sicut scorpium & serpentes, qui in sicco prevalent, in aquam precipitati prevalere non possunt, aut sua venena retinere: Sic & spiritus nequam, qui scorpium & serpentes appellantur, & tamen per nos, data à Domino potestate, calcantur, permanere ultra non possunt in hominis corpore, in quo baptizato & sanctificato incipit Spiritus Sanctus habitare.

§. IV. Quod adjicit Megalander, per fidem Ecclesiæ eos offerentis, & eis fidem suis orationibus implorantis, infantes credere; id non exclusive, sed cumulative intelligendum. Ita preces τῶν προσφερόντων juvabant paralyticum, ut dici ille posset credere per fidem afferentium, utpote qui ipsi fidem suis orationibus implorarent. Εἶδε γὰρ ὁ Ἰησοῦς τὴν πίσιν αὐτῶν Matth. IX, 2. Nihilominus dicit ὁ Σώσαυδρ & paralytico: Confide, fili; remissa sunt tibi peccata tua. Esto: Preces Ecclesiæ juvent fidem infantis; infans tamen non aliena, sed propria fide remissionem peccatorum & justificationem obtinet. Quem in sensum ea quoque interpretanda veniunt, quæ ex Lutheri libro de captivitate Babylonica adducuntur.

§. V.



§. V. Scripturam Novi Testamenti, quando loquitur de actu credendi, sive de fide actuali, semper loqui de fide adultorum, quæ oritur ex auditu, doctrina & prædicatione Evangelii, nimis laxè & licentiosè asseritur. Nimirum quando os veritatis Matth. XVIII, 6. asserit, τὸς μικρὰς πιστεύειν; tùm illos fidem ex auditu concepisse, quis amabo dicet, quisve probabit? Aut enim puer grandiusculus, in quo usus rationis sese jamdum exerit, non est amplius μικρὸς; aut adultior, in quo cum ætate malitia crescere plerunque solet, minus idoneum fuerit commendatæ humilitatis & simplicitatis infantilis exemplum. Igitur μικροὶ sive parvuli isti fuerint, oportet, tenelluli etiamnum, usu libertatis ac discretionis nondum præditi, primum balbutientes atque iturientes, ex quibus unum Dominus in medio statuerat, haud dubie simul cum aliis circumstantem, discurrentem reptantemve. De talibus, inquam, affirmat, quod credant. Cæterum utut fides adultorum, de qua Rom. X, 14. & fides infantum accidentibus differant, specie tamen & forma non differunt. Conf. si lubet, *Theol. meæ Mnemonica Specim. ult. Disp. de Pædobaptismo, p. 27.*

§. VI. Quandoquidem B. Augustinus ep. 23. ad Bonifacium, fidelem vocitat infantem, allegante Becano §. 3. non potest ipsi omnem negasse fidem, nî statueris, Patrem adeo cordatum rationalem sine ratione, justum sine justitia, aut doctum sine doctrina denominasse. Cæterum verba Ejusd. in epist. 27. ad Dordanum p. m. 286. Edit. Reinhard. ita fluunt: *Nescire autem divina parvulos, qui nec humana adhuc noverint, si verbis velimus ostendere, vereor, ne ipsis sensibus nostris facere videamur injuriam.* Non certe omnem Anistes Hipponensis infantibus, qui baptizantur, ademit fidem, sed illam modo, quæ ex auditu est, qualis utique in solos adultos cadit. Id quod graphice arguunt verba paulo post sequentia: *Dicimus ergo, in baptizatis parvulis, quamvis id nesciant, habitare Spiritum S. Sic enim eum nesciunt, quamvis sit in eis, quemadmodum nesciunt & mentem*



mentem suam, cujus in eis ratio, qua uti nondum possunt, velut quedam scintilla sopita est, excitanda ætatis accessu. Similia de reliquis duobus allegatis locis judicare fas est. Neque enim legitime concluditur, si ita concluditur: Augustinus inficiatur, in infantibus dari fidem reflexam, sive cognitionem ex auditu natam, ac talem, qualis in adultis invenitur. Ergo inficiatur, in iis produci per sacrosanctum Baptismi Sacramentum etiam fidem, sive cognitionem directam ac simplicem.

§. VII. Reluctantia illa, qua infantes nonnulli partim vocis ejulatu, partim corporis motu in Baptismum feruntur, in allegato pii Præsulis contextu non opponitur omni fidei aut notitiæ infantum, nedum ut probet inde, infantes plane non credere, sed duntaxat notitiæ reflexæ. Eam nimirum autumat inde provenire, quia in tantum nesciant, quid faciant, ut nec facere judicentur. Quapropter ad ravim prope inculcarunt Orthodoxi, committi à negatoribus fidei infantum hoc in argumento fallaciam non causæ, ut causæ. Videlicet causa motuum illorum distortorum non est, in ipsissimo divinæ ablutionis actu, fidei absentia, non à perceptione & usurpatione Sacramenti peraugusti abhorrentia, nec supina, voluntaria aut malitiosa adversus regenerantem Ministrum resistentia; sed contrariarum potius qualitatum, & accidentis sive ambientis externi ἀντιπαθήσια, dum v. g. infantes, adhuc à matre calentes, frigida perfunduntur, dum ærem exteriorem, manuum contrectationem, aliasve mutationes & alterationes corpuscula ejusmodi vix ferunt. Ita non dubium est, in Veteri quoque Testamento circumcisos ejusmodi motibus distortis suum dolorem indicasse. Male itaque hinc colligit Becanus, non facturos sane id infantes, si crederent, se per Baptismum regeherari, & filios DEI fieri. Ecquis enim ipsi revelavit, quare infantes ejulent? Ejulatus ille potest esse signum clamoris ad DEUM Joel. II, 12. Nam & παῖδες cognoscunt Patrem 1. Joh. II, 14. Enim-



Enimvero vel adultiores renati obstrepunt & reluctantur subinde Spiritui S. carne adversus spiritum concupiscente : an propterea consequens est , eos omni fide destitui ? Nec omnis renitentia naturalis semper peccaminosa est , uti de Christo Matth. XXVI, 39. nec non de piis & fidelibus agonizantibus patet. *B. Quensted. loc. cit. p. 154.* Augustinum ergo , ceu observavimus , Becanus magis adversarium , quam suffraganeum , habet. Is nimirum *Tom. X. ep. Serm. 144.* suam ita exponit mentem : *Ubi ponis parvulos baptizatos? Profecto in numerum credentium. Nec judicare ullo modo aliter audebis, si non vis esse apertus haereticus.*

§. VIII. Repetimus priora : Lutherus nullibi locorum asseruit , infantibus dari fidem in Exorcismo ante Baptismum. In fumum igitur abeunt , & mera sunt entia rationis , confectaria tria , quæ inde exculpuntur , Becaniana. Aliud est , infantibus per vim Verbi , quo exorcisuntur , credere ; aliud , infantibus dari fidem in Exorcismo ante Baptismum. Illud , non hoc , affirmat Theander , non , ut apparet , de sola ceremoniali aut rituali exorcisatione , quæ ipsismet Baptismi substantialibus in Ecclesiis nonnullis præmittitur , sed de effectu potius Baptismi ( quem verbis Catechismi sui minoris hujusmodi exprimit : *Liberat à monte & Diabolo* ) locutus. Eo tetenderat quoque adducta Cypriani vox , Diabolum in Baptismo omnes nequitias suæ vires amittere. Quin ipse Paulus nihil aliud docet *Tit. III. 5.* *Salvavit nos DEUS per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S.* Ecquid autem ista salvatio , nisi à potestate tenebrarum liberatio. *Coloss. I. 13.* ? Et quid hæc , nisi exorcisatio est ? Per lavacrum aquæ in verbo mundantur *Eph. V. 26.* Ergo per vim Verbi quoque exorcisuntur , seu ab immundo spiritu ipsiusque potestate & operibus liberantur , infantes.

§. IX. Proin aerem ferit & vitrum lambit ulterior Anti-Lutherana ratiocinatio : *Si fides infantum gignitur per vim Verbi , tanquam per modum instrumenti ; sequitur a ) Exorcisimum*



cismum habere vim conferendi fidem ex institutione Christi. At non habet : quia neque ex Scriptura , neque ex traditione probari potest , Christum instituisse , ut verbum Exorcismi habeat vim conferendi infantibus actum fidei.  $\beta$  ) Baptismum infantibus nihil profuturum sine Exorcismo , neque hunc à Baptismate abesse aut omitti posse. Consequens falsum ; Ergo & antecedens. Misera enim confusio Exorcismi ritualis ( quæ substantiæ Baptismi contradistinguitur , & efficaciam ejus non constituit , sed significat modo & declarat ) cum ipsissimo effectu Baptismi quem Megalander noster l. c. *exorcisationis*, alibi verò *liberationis à Diabolo* nomine expressit , utrobique committitur. Rumino , quod jamdum innui : Non ad illum , verum ad hunc applicanda erant , nisi falsum quis dicere vellet testimonium , Lutheri verba.

§. X. Quod ex Scriptura ostendi possit , DEUM infalibiliter & certa quasi lege velle infantibus dare fidem , propter orationem Ecclesiæ in Exorcismo , quodve Ecclesia habeat infalibilem vim per suas orationes impetrandi fidem infantibus in (rituali illo) Exorcismo ; id vero nec Lutherus asseruit , nec Lutheranorum ullus. Dum ergo id infringere laborat , non cum his , sed secum ipso , pugnat Jesuita. Preces Ecclesiæ , quæ pro fide infantum funduntur , eam non excitant , sed juvant ; non operantur , sed aut præveniunt , aut concomitantur : neque per modum instrumenti , sed subsidii tantum , in ordine ad fidem illam , sese habent.

§. XI. Dum Hutterus infantibus baptizatis fidem , Melanchthon novos motus & novas inclinationes , & Chytræus utrumque tribuunt , non militant inter se , verum amicissime conspirant. Est utique nobis incomprehensibilis illa Spiritus S. operatio , qua tum accendit fidem in ipsis per Baptismum , tum opera fidei interna , hoc est , novos motus , novasque inclinationes excitat. Distinguuntur enim hi motus à fide , tanquam  
effe-



effectus à causa, & fructus sive etiam flores ab arbore. Neque sibi met ipsis contradicunt Lutherani, qui id dicunt. Esto: Sint ἀσυνδύνατα & ἀσύστατα, τὸ justificari infantes sola fide, & τὸ justificari infantes per novos motus & inclinationes; posterius tamen negant, quotquot novos motus à fide distinguunt, Orthodoxi; Ubi ergo, malum! contradictio Lutheranorum inter se, aut mala cohæsiō doctrinæ Lutheranae!

§. XII. Etsi præterea allata testimonia (Qui crediderit &c. Sine fide impossibile &c. Qui scandalizat &c.) agunt de vera fide, infantes justificante, si attenderis ad id; quod literaliter & proximè notant; tamen novos fidei motus, novasque inclinationes, à fide profectas, idcirco non excludunt. Illam probant, ceu dixi, literaliter & proximè (sicque Becano concedimus, non posse quicquam inde convinci de motibus, qui distincti sunt à fide) Hos consequenter & remote. Etsi quoque nulla datur motuum istorum bonorumque operum interiorum cum fide συνεργία sive coefficientia ad justificationem, datur tamen συνύσσια sive coexistentia cum fide: Perinde fere, ac frons cum oculo, & cœlum cum sole coexistit; nec frons tamen videt, nec cœlum illuminat. Etsi præterea non naturæ, temporis tamen simultas inter fidem & opera interna, ceu inter solem & radios, dari potest. Falsum denique est, in supra dictis testimoniis agi de fide adultorum tantum. Ecquis enim, amabo, credat, per scandalizatos illos, quos expresso verbo μικρῶς vocat, Salvatorem adultos intelligere?

§. XIII. Infundi infantibus in Baptismo habitum fidei, falsum est, si præsertim accipiatur hoc assertum in sensu Pontificio. Juxta hunc enim fides est qualitas, quæ in justificatione prima producitur. At enim fides justificans, quatenus justificans, non in qualitatis, sed relationis categoria poni debebat. Anti-Paulina quippe est infusio habitus justificantis, qui ex nostra parte resideat, hominemve justificandum intrinsece denominet. Vid. Eph. II, 8. *Non ex vobis; DEI donum est.* Philipp. III, 9. *Non habens meam justitiam, sed quæ ex DEO est* &c. scilicet justitiam Christi,

E  
mihi



mihî imputatam. Malim proinde fidem (si quidem habitualiter, & quatenus ex crebris actionibus credendi emanat, spectetur) appellare supernaturalem habitum, quam infusum. Malim etiam regenerationem infantum fidei donationem, collationem atque productionem, quam ejusdem infusionem vocare.

§. XIV. Quod si vero hanc fidei infusionem, ex hypothesi Pontificiorum infantibus baptizatis factam, operosius executiamus, illi talem fidei habitum intelligunt, qui fidei actuali opponatur. Vin clarius? Habitum fidei sine actu credendi. Ita nempe *Cont. Trid. Sess. VII, cap. 13.* de Baptismo docet, *parvulos actum credendi non habere, eosdemque non actu proprio credentes, baptizari in fide sola Ecclesie.* Ita Bellarminus Becano præiverat lib. I. de Baptismo cap. X, II. disputans, *infantes non habere fidem actualem, credere fide aliena, & ipsa susceptione Baptismi: nec tamen justificari sine ulla fide, sed infundi illis in Baptismo habitum fidei, spei & charitatis: item, parvulos actu credere, partim re ipsa, dum baptizantur, partim aliena fide.* Ex quibus patescit, Pontificios habitum fidei nudum & otiosum, seu mavis, fidem in actu primo infantibus tribuere, actum autem credendi secundum ipsis denegare. Quo pacto Salvatore, qui, τὰ βρέφη regnum cœlorum accipere seu salvari, & τὸς μικροὺς πιστεύειν dilucide affirmat, in os contradicunt.

§. XV. Actum credere infantes, quatenus actu baptizantur, flexuosa porro Jesuitæ τῆ ἀνοκατακρηίτη, & rimam elabandi quærentis, assertio est. Ludit sanè in termino actu credere, perinde, ac Bellarminus ante ipsum Iuserat. Ohe! Qui concordant actu credere, & tamen non habere fidem actualem? Perinde dixerim, ac scire aliquam rem, & tamen ejus notitiâ destitui. Imò si actu baptizari idem est, quod actu credere; ecquid, amabo, de hypocritis adultis, qui baptizantur, dicemus? Etiam hi, dum absque fide Baptismum suscipiunt, eatenus actu credent, quatenus actu baptizantur. Ἀπορον. Quod ad Augustini locum



locum ex Lib. I. de peccatorum meritis & remissione cap. 27. citatum, attinet; ejus sententiam *αὐτόπρητος* jam supra accepimus §. 7. Apertum is hæreticum appellat, qui parvulis baptizatis fidem abjudicat. Quando igitur loc. cit. interrogat: *Quis nesciat, credere infantibus esse baptizari? non credere autem non baptizari?* unusquisque animadvertit, minus propriè locutum Antistitem Hipponensem, tropumque sive in vocabulo *credere*, sive in *baptizare* occultasse. Id quod haud omnino dissimulat Adversarius, cum §. subsequente 17. verba Augustini sic exponit: *Censentur credere, sive fidem profiteri, quando suscipiunt Baptismum, qui fidei Sacramentum est.* Si ergo *τὸ credere* hic idem valet, quod *fidem profiteri*; ecqui actus baptizandi propriè loquendo est ipsemet credendi actus? Ille namque hujus causa organica est ac *δοξική*. Causam autem de effectu, aut effectum de causa prædicari proprie in casu recto posse, nemo recte informatus dixerit. Quorsum hæc? Ut pateat, infantibus baptizatis si qua fides à Pontificiis assignetur, impropriam modo & tropicam assignari. Quando autem laudatus Pater *Epist. 23. ad Bonifacium* his utitur verbis: *Parvulum ipsius fidei Sacramentum fidelem facit*, certe non Baptismum qua esse, verum qua prodesse & ex intentione divina spectatum, prout est lavacrum regenerationis, quæ sine fide haudquaquam fit, intellexit.

§. XVI. Infantes qui credant aliena fide, jamdum §. 4. & 10. explicuimus. Quod si extra illa tertia non nemo evagetur, & fidem Ecclesiæ sine propria infantum fide hic sufficere statuat; næ! is perinde facit, ac si vivum hominem anima aliena vivere, aut doctum aliena eruditione sive doctrina talem esse existimet. Fac proinde, infantes quodammodo dici posse credere fide aliena, justificari tamen nequeunt fide aliena, eò, quod fide sua vivat justus. Hab. II. 4. Cæterum preces parentum aliorumque, pro fide infantum suas, nec ipsi respuimus. Instar omnium esto Ecclesiarum Saxonicarum formula: *Wir bitten*



ten durch dieselbe grundlose Barmherzigkeit / du wollest diese N. gnädiglich ansehen / und mit rechtem Glauben im Geist beseligen. Si quis autem urgeat cum Becano, eodem modo prodesse alienam fidem infantibus ad salutem, quo alienum peccatum obfuit illis ad condemnationem; regerimus, disparem intercedere rationem inter alienum parvulorum peccatum, & alienam parvulorum fidem. Illud enim liberis imputatur; hæc tantum opitulatur. Illud in liberis originalem post se trahit inhærentiam; hæc non item. Invertamus, age, similitudinem: Quemadmodum parentes increduli incredulitate non aliena, sed propria damnantur: Ita liberi fideles fide non aliena, sed propria vivunt, justificantur & salvantur.

§. XVII. Propositio hæc: *Nemo potest justificari sine fide*, si de sola fide actuali propria intelligatur, falsa non est. Manet insuper τὸ ἐν ἀρχῇ (dubitanter enim loquitur Jesuita) indifferenter quamvis fidem, sive propriam, sive alienam, sive actualern, sive habitualem, infantibus competere, ita, ut infantes nonificentur sine fide, tum quia in Baptismo infundatur illis fides habitualis, tum quia credant fide aliena, sicut in Adamo peccarint voluntate aliena, tum denique, quia censeantur credere, seu fidem profiteri, quando suscipiant Baptismum, qui fidei Sacramentum est. Porro si istud: *Qui crediderit, salvabitur: qui non crediderit, condemnabitur*, intelligi de adultis, & non de infantibus debet; sequitur, infantes ab extremo judicio, quod tum absolutionis, tum condemnationis est, penitus exclusum iri. Quod implicat. Manet nihilominus τὸ ἐν ἀρχῇ, infantes, dum per Baptismum ad DEUM accedunt, neque credere, quod DEUS sit, neque credere, quod inquirentibus se remunerator sit. Ebr. XI, 6. Et licet in eopse capite adultiorum fiat mentio, v. g. Abrahæ; non tamen excluduntur filii Abrahæ per fidem facti Gal. III, 22, 29. Nec enim, ceu superius insinuavi, qua speciem & formam fides adultiorum à fide infantum, sed duntaxat qua accidentia nonnulla, differt.

§. XVIII.



§. XVIII. Per τὰς μικροὺς Matth. XVIII, 6. intelligi grandiores pueros, exclusis nempe minoribus; inde α) parum solide probatur, quod Christus hos vocaverit ad se, & quod accesserint vocati. Nec enim plures aut omnes vocavit; sed unum modo. Ab hoc uno ad τὰς μικροὺς generatim transiens, non amplius singulari, sed plurali utitur numero. Hi autem quanto magis sunt μικροὶ, tanto commodius exemplum fidei & humilitatis subministrant. Id quod & verbis & scopo Salvatoris convenientissimum dictu est: Inde verò idem illud β) minus solide statumatur, quod infantes scandali capaces non sint. Τὸ σκανδαλίζειν enim latè patet; nec modo scandalum, quod actu secundo infertur, sed & scandalum potentia sive actu primo tale, sub ambitu suo completitur. Conf. Theol. mea Mnemon. Specim. 3. Diss. super Væ scandalizanti, pag. 17. Ita Christus erat ἀσκανδαλίζου; & tamen ad Petrum ait: Scandalum es mihi Matth. XVI, 13. scilicet potentia tale. Profers enim ea, quæ actu primo & in se scandalosa sunt. Hoc ipso in comparationis limite persistentes nonnulli, dicunt, tametsi infantes sint ἀσκανδαλίζου sive incapaces scandali, scandalum tamen ipsis inferri posse. Imò non desunt, qui verbum σκανδαλίζειν utrumque, tum morale, tum reale scandalum, sub ambitu suo comprehendere existiment. Quo pacto οἱ μικροὶ (scandalo reali) scandalizari utique possunt, quatenus iis nocetur malo facto, aut omissione officii Christianæ charitatis, ipsis debiti, quando nempe prohibentur, ne afferantur ad Christum, sicque retardantur aut arcentur potius à Baptismo. Conf. B. Himmel. Anti-Coppensteiniūm p. 171. Utam harum expositionum sequare, perinde erit, ac probationi Jesuiticæ nervus incidetur.

§. XXI. Exemplum Johannis Baptistæ potius instantiæ, quam regulæ generalis vice à plerisque Nostratium afferitur. Quando enim thesin hanc universalem formant secus sentientes: Quicumque destituuntur usu rationis, illi non possunt credere; instamus haud absre, producimusque Protobaptistam



embryonem, omni rationis usu destitutum, qui tamen crediderit & exultaverit præ gaudio spirituali. Evanescent igitur duriores istæ, ab asina Bileami & exultatione pecorum petitæ, instantiæ. Antiquior certe hic nobis esto Angelus Gabriel, quam Augustinus. Ille annunciat ab utero impletum iri Spiritu Sancto Johannem Luc. I, 15.; Hic exultationem Ejus cum exultatione pecorum, utique multum humani passus, comparat. Possibile ergo est, impleri Spiritu S. & tamen non credere?

§. XX. Qui pro parvulo respondent *Credo*, Susceptores sive Fidejussores spirituales, utique significant, illum etiam actu proprio credere, seu mavis, paulo post eopse momento, quo baptizatur, crediturum esse. Justus nempe, ceu dictum, fide sua vivit, non aliena. Hinc utut aliena, scilicet parentum, fides infanti profit, ut baptizetur; non tamen ita prodest, ut per eandem salvetur; idque secundum idem dictum Habacucianum, jam allatum. Quod autem fides matris Ecclesiæ ipsi ad hoc profit, ut fiat vivum sive animatum ejus membrum, ita, ut per Baptismum ei inferatur, utque reliquis ejusdem membris uniatur & conjungatur, ut fides ejusdem communicetur, utque per illam fidem vivat & animetur; id omne incassum dicitur, &, ut cætera taceam, ab aureolo nostro Habacuciano denuo refellitur: Justus sua (non aliena, non Matris Ecclesiæ) fide vivet. Anne igitur defectum fidei in parentibus & aliis, parvulum offerentibus, supplebit intentio baptizantis? Ita certe palliatam curam adhibet Becanus. Sed redit grande dubium: Quidsi ne Minister quidem baptizans habeat intentionem baptizandi? Conclamatum tunc est de digna hujus Sacramenti, quo parvuli Christianismo veniunt initiandi, participatione. Illicet! Ne ullus quidem eorum, qui Becanianam isthanc hypothesein tueri satagunt, de Baptismi sui vel integritate, vel valore certus esse potest.

STRI-



S T R I C T U R Æ

adversus

C A P U T T E R T I U M

De

Impanatione.

§. I.

**I**mpanationis vocabulum nostræ penitus repudiant Ecclesiæ; tantum abest, ut modum, quo Christus in S. Coena adsit, per impanationem, h. e. localem in pane inclusionem, describant. Exulat à nobis Pontificiorum μετῆσιν; exulat Reformatorum ἀναλογία, σημασία ἢ ἀπῆσιν; exulat nonnullorum συνῆσιν, sive per consubstantiationem, sive per coexistentiam transvertatur. Placet autem remanetque, sicut erat in principio Novi Testamenti, Paulina κοινωνία 1. Cor. X. 16.

§. II. Si post consecrationem in Coena non amplius adest substantia panis & vini, sed illa conversa est in substantiam Corporis & Sanguinis Christi, sicut substantia aquæ in nuptiis Canæ Galilææ conversa est in substantiam vini Joh. II. 9. sequitur, quod falso doceatur inferius §. 9. in conversione illa Eucharistica sola accidentia remanere. Ratio sequelæ est evidens, quandoquidem aquæ accidentia non remanserunt, v. g. sapor, color, odor &c. cum miraculosa illa conversio in nuptiis Canæ fieret.

§. III. Modus, quo Christus in Eucharistia præfens est, intelligitur vel κατ' ἀρσιν sive negative, vel κατὰ θεσιν sive positive. Si intelligitur κατ' ἀρσιν seu negative; nulla intercedit inter Lutheranos discrepantia. Credimus enim, ceu §. I. innui, docemus & confitemur unanimiter, quod nec per modum ἀπῆσιν, σημασίας ἢ ἀναλογίας, h. e. absentia, significationis aut relationis, nec etiam per modum συνῆσιν h. e. impanationis, consubstantiationis, localisve inclusionis, Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi in Coena adsint, Et hoc sensu



sensu veluti præsentiam credimus ; ita nec modum ignoramus. Sin κατὰ θεσιν sive positive intelligitur ; ne sic quidem discrepant Lutherani. Paulinam enim κοινωνίαν magno consensu docent , atque adeo ne hanc quidem ignorant in actu signato. Quod autem ad vetus dictum attinet : Præsentiam credimus, modum ignoramus ; illud de modi qualitate , non veritate , seu mavis , de modo præsentiæ sacramentalis in actu exercito , sive quâ specaliorem hujus mysterii æconomiam , quæ soli omniscio , veraci & omnipotenti Testatori nota est , spectato, capiendum venit.

§. IV. Christum in Cœna præsentem fieri per ubiuitatem, & quidem ita , ut ubiuitas , seu mavis , Omnipræsentia , Humanæ naturæ communicata , sit causa proxima & adæquata præsentiæ Sacramentalis , nemo Nostratum , quod sciam , docuit. Ita nempe iis quoque in locis, ubi S. Cœna non celebratur , præsentiissime adest ὁ Θεὸς Ἰησοῦς. Quod autem Lutherus ad controversiam Sacramentariam applicuit tritum illud : Dextra DEI est ubique : seu mavis , Christus , ad Dextram DEI sedens, est ubique ; id sane non ad fundamentum præsentiæ Sacramentalis proximum , quod verba institutionis continent , sed remotum attinebat imprimis : & Adversariorum duntaxat sententiæ ( quod Christus Corpore suo nequiret esse præsens in plurimis locis ) è diametro opponebatur.

§. V. Christum in Cœna præsentem fieri per unionem hypostaticam cum pane & vino , minime omnium affirmant Lutherani , in quorum scholis nihil receptius est distinctione inter unionem personalem & sacramentalem. Illius extrema sunt Divina & Humana Natura ; hujus autem solus panis eucharisticus & solum Corpus ; nec non solum vinum eucharisticum & solus Sanguis Christi. Illa non est solubilis , terminabilis aut cessans ; hæc autem solubilis , terminabilis ac cessans , imò ordinata & determinata est respectu integræ actionis sacramentalis.



talis. Vid B. D. Hæpfnerus *Tractat. Theoret. de Cæna p. 95.* Adeoque toto, quod ajunt, cœlo differunt. Instas, Lutherum *Lib. de Captiv. Babyl. cap. de Eucharistia* his uti verbis: *Sicut de Christo dicimus: Hic homo est DEUS, hic DEUS est homo: Ita de Eucharistia: Hic panis est Corpus meum, hoc vinum est Sanguis meus, & econtra.* Et ibidem: *Credo firmiter, non modo Corpus Christi esse in pane, sed & panem esse Corpus Christi.* Regero autem, comparationem isthanc Theandri non ἀπλῶς, verum κατὰ τι interpretandam venire. Tertium nempe, quod hoc loco inter *sicut & ita* consurgit, est unionis cum nulla transsubstantiationis, qua una natura in alteram converti existimetur, necessitate conjuncta, & propositionum inde resultantium, veritas, non autem unionis omnimoda qualitas. Non ad hanc, sed ad illam, respexit tertius noster Elias.

§. VI. Christum denique in Cœna præsentem fieri per simplicem conjunctionem unius cum altero (panis benedicti cum Corpore, & vini benedicti cum Sanguine) Nostrates itidem haud profitentur. Tuentur nimirum ad unum omnes κοινωνίαν Sacramentalem, provocantes ad verba Pauli exegetica, quæ Lutherus ipse coronam capitis sui appellavit, quæque verbis Christi Testamentariis lucem affundunt mirificam. Jam verò conjunctio κοινωνική sive communicativa non est conjunctio simplex unius cum altero, qualis etiam inter duo conjuncta esse potest, quæ de se invicem prædicari non possunt, v. g. ut rudi & crassa utar similitudine: Si scriniarius lignum & corium conglutinat, est quidem ea conjunctio; nec tamen idcirco dicere possumus, quod lignum sit corium, aut contra. Neque etiam ostenso ligno dicere possum: Hoc est corium, aut, hoc lignum est κοινωνία corii. Ratio hæc est, quoniam nec lignum corio, nec corium ligno aliquid confert, aut aliquid ab ipso accipit. Unde conjunctio eorum modò παραστατική & simplex: non autem κοινωνική sive communicativa aut participativa est. Aliter, ceu dixi, res se habet



de *κοινωνία* Sacramentali, utpote quæ tum exhibitivis Testamen-  
tariis, tum Paulinis exegeticis, tum denique Ecclesiasticis propo-  
sitionibus rite exprimitur & insinuatur.

§. VII. Cum larvis pugnat, & aërem, Andabatarum  
instar, ferit Antagonista, dum falsò tribuit Luthero, Brentio,  
Illyrico & Schnidelino, quod statuerint, Christum esse præsen-  
tem in Eucharistia per ubiuitatem. Siquidem illi Autores, nunc  
in cœlo triumphantes, quando Omnipræsentiam Humanæ Na-  
turæ Christi in negotio Cœnæ urserunt, eam non ut principium  
sive fundamentum *παρρησίας* Sacramentalis proximum aut adæ-  
quatum, sed tantummodo ut remotum adduxerunt. At non de  
hoc, verum de illo erat quæstio. Hoc, inquam, principium præ-  
sentia Sacramentalis proximum non ubiuitas, ut isti loquuntur;  
sed sola Testatoris sanctissimi, in verbis Institutionis revelata, vo-  
luntas est. Quandoquidem præsentia *Θεανθρωπία* Majestatica non  
excluditur, sed potius præsupponitur à præsentia ejusdem sacra-  
mentali; nec tamen illa hanc proxime & adæquate infert. Volo  
dicere: Ubique adest *Θεανθρωπία* Majestaticè, nec tamen ubi-  
que adest sacramentaliter & gratiose. Accedit, quod Lutherus  
& Lutherani in hac disputandi materia, ceu monitum antehac,  
non *θελικῶς*, quasi præsentiam Sacramentalem ex Majestatica pro-  
barent, sed *ἀντιθετικῶς* (nimirum cum Adversarij præsentiam Cor-  
poris & Sanguinis Christi sacramentalem eo nomine in dubium  
vocarent, quod negarent Omnipræsentiam Humanæ Naturæ  
communicatam esse) utque huic objectioni plenè satisfacerent, ad  
assertionem hujus doctrinæ de Omnipræsentia Humanæ Christi  
Naturæ, atque ad necessariam illius defensionem, tuerint deducti.

§. VIII. Cum multi Lutheranorum docuere, Christum  
non fuisse ubique præsentem, nisi post ascensionem; id non nisi  
de divinæ Omnipræsentia, quæ Humanæ Naturæ communicata,  
quæque cum universali & incessante dominio conjuncta est, *χρησῆς*  
intellectum voluere. Hinc ante ascensionem in Eucharistia prima  
per



per communicatæ illius Omnipræsentia  $\chi\rho\iota\sigma\tau\iota$  plenariam & incessantem utique non fuit præsens ; sed potius per œconomiam sive dispensationem voluntariam, in verbis Institutionis expressam ; cuius tamen rationem in consecratione transubstantiativa consistere, Pontificii frustra contendunt. Imò quidam Nostratium docent, si vel in triduo mortis sacra Coena fuisset celebrata, Corpus Christi, quantumvis non vivum, vivificum tamen futurum tunc fuisse.

§. IX. Nihilofecius aërem ferit illatio Jesuitica : Quod ubique est, id non movetur de loco in locum. Si ergo Corpus Christi est ubique, non movetur de loco in locum. Ex quo ulterius sequitur, Ministrum Lutheranum, quando communicantibus distribuit hostias, non distribuere Corpus Christi, sed nudas hostias ; quia hostiæ, quæ deferuntur ex manu Ministri in ora & stomachos communicantium, non deferunt secum Corpus Christi. Alioqui Corpus Christi moveretur de loco in locum. Sic itaque communicantes nihil accipiunt à Ministro Lutherano, nisi nudas hostias, seu nuda symbola ; qui est error Calvinistarum. Judicet quilibet, à studio partium immunis, num intra aleas modestiæ substiterit, hæc cum scriberet, Antagonista. Ecquis, amabo, Nostratium ubiuitatem Corpori Christi extensivam sive expansivam unquam tribuit, cuius ratione de loco in locum nequiverit moveri ? Et tamen Autor non hanc modo falsam nobis hypothesein assignat ; sed & consuetarium de distributione & acceptione solarum hostiarum inde elicit. Collabefacto igitur tam ruinosi ædificii fundamento, ruit omne id, quod superstruitur.

§. X. Cum Lutherani passim docent, Eucharistiam, sicut & Baptismum, consistere in usu ; ac proinde Corpus Christi non esse præsens in Eucharistia, nisi quando sumitur, seu mavis, extra sumptionem non esse præsens ; de actu præsentia Sacramentalis, qui in sanctissimum Christi Corpus cadit, eidemque secundum tenorem verborum institutionis tribuitur, non autem de



actu præsentia personalis, cujus ratione tota Divinitatis plenitudo in eo habitat, loquuntur. Hinc, Becano ita argumentante (Si Christi Corpus extra sumptionem in Eucharistia non est præsens, sequitur, quod non sit ubique præsens) addimus nonnihil ad consequens: nimirum actu Sacramentali seu præsentia Sacramentalis; & ita concedimus totum.

§. XI. Utique Sacramenta secundum substantiam suam ab institutione Christi pendent. Substantia verò Eucharistia non modo ejusdem materia, cum terrenâ, tum cœlesti; sed etiam ejusdem formâ, seu mavis, actibus formalibus, indivulso nexu conjunctis, nimirum *εὐλογία* sive consecratione, distributione, manducatione & bibitione, absolvitur. Equi autem inde sequatur, Eucharistiam non esse Sacramentum, equidem non video; & suspicor, Adversarium hæc scribentem perversa laborasse hypothese, quod omne Sacramentum esse debeat ens permanens. Cæterum orthodoxo sensu largior id, quod tandem concludit §. 3. nimirum Corpus & Sanguinem Christi esse in Eucharistia non per ubiuitatem, sed per institutionem Christi, i. e. per consecrationem, manducationem, & bibitionem, à Christo institutam.

§. XII. Christum in Eucharistia per unionem hypostaticam esse præsentem, ita, ut Corpus Christi cum pane, & Sanguis Christi cum vino hypostatice uniatur, Lutherus neutiquam sensit docuitve. Verba *Libri de Capt. Babyl.* prout equidem ea lego, hujus sunt tenoris: *Sicut in Christo res sese habet; ita & in Sacramento. Non enim ad corporalem inhabitationem divinitatis, necesse est transubstantiari Humanam Naturam, ut Divinitas sub accidentibus Humana Nature teneatur. Sed, integrâ utraque Natura, verè dicitur: Hic homo est DEUS, hic DEUS est homo. Quod etsi Philosophia non capit, fides tamen capit, & major est Verbi divini autoritas, quam rationis humanae capacitas. Ita in Sacramento, ut verum Corpus, verusque Sanguis sit, non est necesse, panem & vinum transubstantiari, ut Christus sub accidentibus*



dentibus teneatur. Sed, utroque simul manente, verè dicitur: *Hic panis est Corpus meum, hoc vinum est Sanguis meus, & contra.* Hactenus Lutherus; cuius verba dummodo expendamus, in apras certè abit Becaniana imputatio, inculpatio, & inde nihil oritur, nisi cum proprii ingenii larvis instituta, decertatio. Conf. ea, quæ jamjam observavi §. 5. & addeſis iudicium B. D. Chemnitii nostri *Exam. Conc. Trid. P. II. p. 140.* Nec sane, inquit, *personalem statuimus unionem panis & Corporis, vel talem, qualis est Divina & Humana Natura in persona Christi: sed similitudine illa, qua tota antiquitas de Eucharistia usa est, declaramus hanc propositionem, de qua hoc loco controversia est.* Eandem ferè similitudinem Cyprianus adhibuit in Sermone de Coena Domini, inquit: *Sicut in persona Christi Humanitas videbatur & latebat Divinitas; ita Sacramento visibili ineffabiliter divina se infundit substantia, ut esset religioni circa Sacramenta devotio.*

§. XIII. In allegato Chemnitii loco equidem non lego, τὸν Μακαρίτην statuere, quod Christus sit in Eucharistia præſens per simplicem conjunctionem. Scopticum igitur illud, quod contra hanc sententiam affertur, exemplum: *Equus est proprie asinus*, in caput Autoris relabitur. Quod attinet ad alterum, nos videlicet ista enunciatione uti non posse: Christus est propriè lapis monumenti §. 6. evanescit & illud, cum opponatur modo iis, qui simplicem conjunctionem in Coena tradunt. At hos esse Lutheranos, nondum probatum est. Vid. denuo jamjam allata §. 6. Sed ne sic quidem Lutheranorum doctrinam de prædicatione illa Sacramentali: *Hoc est Corpus meum*, satis plene proponit Jesuita, quando autumat, hunc secundum illos esse sensum talium verborum: *Hic panis est propriè corpus Christi.* Notanter dico: Satis plene. Utut enim nonnulli Nostratium particulam δευλίχην *Hoc ita explicent: hic panis*; tamen non adversantur iis, qui Synecdochen Gram-



maticam Lutheri huc dextre applicant, & totum complexum intelligunt, quasi dicatur: *Hoc, quod vobis cum pane exhibeo.* Minime omnium verò Calvinistis eo nomine sunt accensendi, per *δεξιῶν* *Hoc, panem solum* intelligentibus. Quandoquidem illi Synecdochen Lutheri Grammaticam excludunt, & ut dixi, panem solum volunt intellectum. Aliud verò esse per subjectum *Hoc panem* intelligere; aliud panem solum intelligere, quis non videt?

§. XIV. Porro quando Nonnulli Nostratium docuere, propositionem exhibitivam Sacramentalem ac Testamentariam *Hoc est Corpus meum*, talem gignere sensum: *Hic panis est propriè Corpus Christi*; illud Propriè apud eosdem non idem est, quod *ὁμωνύμως* seu univoce & essentialiter: id quod accurate evincit *B. Gravverus in Absurdis Calvin. p. 74. & seqq.* Neque id sibi volunt, quod panis sit propriè Corpus Christi per modum transubstantiationis; sed hoc potius, quod panis sit propriè Corpus Christi per modum communicationis *1. Cor. X. 16.* Unde nihil adversatur nobis dictum illud, quod, qui Latine noverit, & prudenter rem æstimet, facile advertat, falsam esse hanc locutionem: Panis est propriè caro; Vinum est propriè Sanguis. Quandoquidem, si τὸ Propriè univocam prædicandi rationem, sique substantialem panis in Corpus & vini in Sanguinem conversionem importet, etiam nos lucutionis hujus agnoscimus falsitatem. Illa insuper phraseologia: *Panis est Corpus Christi sacramentaliter* æquivocationi suæ substat. Si enim τὸ *sacramentaliter* idem notat, quod impropriè & figuratè, tum è Calvini schola nata est, & repudiatur ab Orthodoxis; sin τὸ *sacramentaliter* idem notat, quod *non-naturaliter & non-physicè, sed supernaturaliter ac mysticè, sed inusitate ac singulariter, & tamen propriè*; tum Orthodoxis minime sordet. Quoniam enim Corpus sacramentaliter unitur pani, ideireo etiam sacramentaliter prædicatur de pane. Ea tan-

tan-



tandem assertio, Corpus Christi manducari ore corporis, sicut panis manducatur, iterum nihil, nisi ambiguus est lusus, qui ὑπερβολὴν quoddam occultit in adverbio *Sicut*. Si enim illud de modo naturali intelligatur, negatur assertio: Sin de objecto h. e. ipso Corpore Christi naturali & substantiali, quod in mortem traditum, quod crucifixum est, intelligatur; conceditur. Ista verò sequela: *Quod ore corporis sumitur, illud physicè sumitur*, fallaciam à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, à sumptione organi ad sumptionem modi Physici seu naturalis, committit manifestam.

§. XV. Dum Ambrosius, Cyrillus Hierosolymitanus, Cyprianus, Gregorius Nyssenus aliique Patres verbis mutandi, transmutandi, convertendi &c. de pane & vino utuntur, ἀσυνλογισία est, statuere velle, quod non aliam, quam substantialem, intellexerint mutationem. Ecquid enim obstat, quo minus accidentalem, qua nempe panis & vinum ab usu vulgari & profano ad usum sacrum mutata ac transmutata sint, intellexerint? Affirmanti igitur id, quod substantialem intellexerint conversionem, incumbit probatio. Exempla mutationis aquæ in vinum in nuptiis Canæ, virgæ Mosis in serpenterem, aquæ Ægyptiacæ in sanguinem &c. transubstantiationem non probant. Siquidem in illis Spiritus Sanctus mutationem substantialem esse factam testatur; at in Cœna non item. Unde ab Ambrosio & Cyrillo non ad probandum præsentia Sacramentalis modum, qui sit transubstantiatio, sed ad probandam hanc mutationis accidentalis, quæ sit in pane & vino, possibilitatem adducuntur. Apud DEUM quippe mutationes substantiales non fuerant ἀδύνατοι: Ergo nec accidentales. Quorsum faciunt illa Cyrilli, agentis: *Qui videtur panis, non est panis* (puta vulgaris sive profanus) *etiamsi gustui ita appareat; sed Corpus Christi: Et quod videtur vinum, non est vinum, etiamsi gustus velit, sed Sanguis Christi.*

§. XVI.



§. XVI. Cum Lutherani concedunt, Christum accepto pane dixisse, *Hoc est corpus meum*; tum neque hoc intelligunt de pane substantialiter mutato in Corpus Christi, neque etiam de pane, ut panis est; si quidem subjectum *δεικτικὸν Hoc* de eo capiatur, quod tum immediate, tum mediate significat. Immediate significat panem, utpote de quo in verbis antecedentibus docemur, quod Christus eum acceperit, fregerit dederitque Discipulis: Mediate autem significat id, quod in prædicatione clarè exprimitur, nimirum Corpus Christi. Dicit enim Testator: Hoc (quod vobis edendum porrigo) est Corpus meum. Non, inquam, de pane, ut panis est, intelligunt demonstrativam particulam *Hoc* Lutherani, si per panem, ut panis est, intelligas solum panem, & excludas Corpus Christi. Concidit ergo ἀκολούθησις: Si Lutherani verba, *Hoc est Corpus meum*, de pane, ut panis est, intelligunt; jam falsa est eorum propositio. Non enim panis (pergit Jesuita) propriè est Caro Christi, sicut nec vinum propriè est Sanguis Christi. Quia nimirum τὸ *Hoc*, ne quidem de pane solo, sed de toto *συμπεπλεγμένῳ* interpretamur, idcirco irrita illa consecratoria, quæ forsitan ad proprietatem Physicam, nec non ad panem in usu Physico, & Carnem Sanguinemque Christi, in actu naturali conceptum, respiciunt, quibusque adeo isti ludere in re seria student, inò rem in se evidentem modò intricare, & sententiam Orthodoxorum Calvinismi accersere, hocque nomine simplicioribus odiosam reddere annuntur, nos eo minus certe gravabunt.

§. XVII. Licet Christus non acceperit & fregerit complexum ex pane & corpore, sed solum panem; ideo tamen nulatenus negari debebat, pronomen *Hoc* in propositione exhibitiva Testamentaria sumi pro complexo ex pane & Corpore Christi. Etenim pronomen *Hoc* in exhibitiva illa propositione Testatoris sanctissimi non modo antecedentia respicit, sed & consequentia. In antecedentibus utique fit mentio solius panis, utpote



utpote quem acceperit, fregerit, dederitque Discipulis suis Dominus. At in consequentibus verbis, quæ tum Imperativus EDITE, tum particula Hoc cum antecedentibus connectit, etiam fit mentio Corporis in mortem tradendi, utpote quod, fatentibus ipsis Adversariis, edendum porrigebatur. Proin ad subiectum enunciationis exhibitivæ complexæ sufficit, si rem principaliter exhibendam, utpote quam deinceps prædicatum clarè exprimit, obliquè connotet. Quoniam igitur Becanus particulam Hoc ad sola antecedentia refert, consequentibus exclusis, τὸ πρῶτον ψεῦδος, cui is argumentationem suam incautè superstruxit, nemini non apparet.

§. XVIII. Est autem argumentatio ista hujusmodi: *Hoc, quod sub his accidentibus continetur, est verum Corpus. Ergo non est verus panis triticeus.* Nos inciciamus Antecedens. Contineri nempe Corpus Christi in Cœna sub accidentibus panis, dicitur quidem, sed non probatur. Sacramentalem utique κοινωνίαν, quæ inter panem & Corpus Christi intercedit, non autem continentiam Sanctissimi hujus Corporis sub accidentibus panis, tradit Apostolus. Accedit falsa ista de remanentiâ accidentium, destructâ & mutatâ substantiâ, hypothesis, de qua ne γὰρ quidem habet institutio Cœnæ, quamque vel ipsa Philosophia sanior explodit. Tandem κατ' ἀνθρώπων repudiaverit quis argumentationem Jesuiticam quasi responsione indirecta, seu mayis, data instantia: *Hoc, quod sub his accidentibus continetur, est vera anima.* Ergo hoc, quod sub his accidentibus continetur, non est verum corpus organicum.

§. XIX. Exemplum familiare de substantia divina (quæ sit invisibiliter & latenter præsens cum substantia panis, nec tamen, si quis habeat panem in manu, demonstratis accidentibus illius panis, dici possit: *Hæc est substantia divina,*) nec non alterum de Corpore Christi (quod penetrative fuerit in  
G
lapide



lapide sepulcri , & de quo nemo rectè aut propriè dixisset : Hoc est Corpus Christi ) animadversione indigent non una. Etenim 1) scribit Becanus , quod in exemplis his duæ substantiæ sint in eodem loco. At quis , obsecro , dixerit , substantiam divinam ita esse in eo loco , in quo panis est , uti panis ibidem est ? Ita nimirum substantia divina adesset localiter & circumscriptive ; cum potius adsit repletive , nec repleatur ab eo Ubi aut Loco , cui adest , sed id ipsum Ubi , aut eum ipsum locum potius repleat. 2) confundit *παρουσίαν* seu præsentiam cum *ένώσει* sive unione. Hæc compositionem extremorum , in unum tertium coëuntium , semper importat ; illa non semper. Etsi ergo concedi potest , quod DEUS sit invisibiliter & latenter præsens cum substantia panis ( cum nullum *πρὸς* creatum dari , imò ne cogitari quidem possit , quin DEUS qua immensam infinitamque suam substantiam ibi sit præsens ) non tamen est unitus cum substantia panis , ita , ut , ostenso pane , dici queat : Hoc est DEUS. Similiter neque Corpus Christi vivificatum ac glorificatum cum lapide sepulcri , quem penetravit , fuit unitum , id quod fatetur ipsemet Autor , affirmans , Christum hac ratione tantum concomitanter ibi , scilicet in lapide sepulcrali , fuisse. Annec̄to aliud exemplum , ut res dilucidetur : Ita Petrus est in Museo præsens ; nec tamen unitur cum Museo. At in S. Coena , cum dixit Salvator : Hoc est Corpus Meum , non nudam modo *παρουσίαν* sive præsentiam , sed etiam insuper veram unionem inter patens & latens h. e. panem & Corpus suum voluit indicatam.

§. XX. Ruit 3) tota ratio Becaniana , in eo posita , quod , cum duæ substantiæ sint in eodem loco , quarum una videatur per propria accidentia , quæ ipsi inhæreant , & altera sit invisibilis & latens ; tunc , quod demonstret contentum sub accidentibus , non designet substantiam invisibilem & latentem , sed substantiam , cui illa accidentia inhæreant , præsertim



si propriè loquamur & non figuratè : atque ita in Eucharistiâ , si panis visibiliter , & Corpus Christi invisibiliter adsit , non propriè dicamus : Hoc est corpus Christi , quia illud pronomen *Hoc* designet proprium contentum sub accidentibus , id quod non sit Corpus Christi ; sed substantia panis. Ruit , inquam , ista. Siquidem exempla illa , quæ produxit Becanus , non sunt exhibitiva aut talia , quæ supponant unionem exhibitivam , ceu ostendi. Et verò in propositionibus exhibitivis complexis exhibendum principale sæpius est latens , quam patens ; v. g. si jusculum , in quo salubre medicamentum occultatur , offero ægrotanti , ac dico : Accipe , ede ; hoc est salubre medicamentum ; ecquis , amabo , dubitat , me propriè locutum , si ita loquar ? Et tamen medicamentum est exhibendum principale , estque latens , seu tale , quod in sensum minus incurrit : Jusculum autem , utut in sensum incurrat , & per propria accidentia , sub quibus continetur , quæque ipsi inhærent , videatur , tantummodo exhibendum minus principale est , utpote , quo exhibito , is , qui exhibet ( si dicat : Hoc est jusculum ) intentionem animi nondum satis reddidit testatam.

§. *XXI.* Ultimus Jesuitæ conatus in objectionem , quam proponit , Nostratium dirigitur , quod Eucharistiâ vocetur panis etiam post consecrationem I. Cor. XI. *v.* 26. Quotiescunque manducabitis panem hunc &c. Hac assertionem Apostolica se torquens in exiguum angustumque tantopere adigitur , ut tandem autumet , Apostolum de pane mutato loqui , sicut Christus in Evangelio dicat : Cæci vident , claudi ambulant , i. e. qui antea erant cæci & claudi , nunc per mutationem miraculosam vident & ambulant. Ita nempe foret sensus : Quotiescunque munducabitis panem hunc immutatum sive transubstantiatum &c. Regerimus , insignem inter adducta loca & phrasin Paulinam intercedere discrepantiam. Ibi nempe expressa fit mentio mutationis à cœcitate ad visionem , à claudicatione ad ambu-

ambu-



ambulationem, quem modum loquendi distractionem Logici appellant; Hic autem nulla substantialis mutationis mentio fit; neque etiam per ullam bonæ consequentiæ aut Hermeneuticæ Sacræ regulam, sive ex dispositivis Christi, sive exegeticis Pauli verbis derivari potest. Illud igitur, quod erat in quæstione, tanquam certum ab interpretatione Becaniana supponitur.

§. XXII. Et hæc sunt, quæ commodis Ecclesiæ evulgare Becanianisque Sectatoribus, nondum intermortuis, opponere visum fuit. Attexuit idem ipse Martinus tres Manuali suo libros, condiditque tertium super Calvinistarum, quartum super Anabaptistarum, & quintum super Politicorum controversiis. Quandoquidem autem mearum partium haud esse duco, defensionem ullius ex tergemina isthac sorte in me suscipere; idcirco sub Altissimi umbraculo finem facio Stricturarum, & τὸν Ἀρχηγὸν ἢ Τελευτηνὴν Πίστιν, qui fuit harum mearum lucubrationum Alpha, earundem quoque, pro nominis sui sanctificatione, regni sui glorificatione, & voluntatis suæ consummatione perpetuandâ, Omega esse, devotius exopto.

FINIS.

Coll. diss. A. 115, misc. 29